12

CASPARIS ZIEGLERI,

J.U.D. & Cod. Prof. Publ.


De

BAPTISMATE NON ITERANDO

DISSERTATIO

Ad l. Antistitem 1. Cod. ne sanct. Bapt. iteret.

42



WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI Academ. Typograph.

ANNO M DC LXI.




PER-ILLUSTRI ET GENEROSISSIMO

DOMINO

Dn. CAROLO,

LIBERO BARONI

A FRISEN



ROTAVIÆ DOMINO ETC.

INTIMI CONSESSUS IN AULA

SAXONICA

CONSISTORIANO

ET

SUPREMI ECCLESIASTICI SENATUS

PRÆSIDI EMINENTISSIMO

INCHOATAM NUPER DIGNITATEM

ET MUNUS AMPLISSIMUM

GRATULATUR

CASPAR ZIEGLERUS D.

ACAD. WITTENB. HODIE RECTOR.

PERILLUSTRIS ET GENEROSISSIME BARO,

In gratulantium coetu, qvi primus esse debuissem, postremus Ego nunc advenio; voto tamen eò calidiore, qvò major hodie reqviritur opera, Tibi ut placere qvis possit, rei qvorum scilicet pertæso & penè jam respuenti. Nec verò nunc demùm excitatum me putes, qvippe qvem jamdiu Virtutum Tuarum admiratorem habes; sed qvemadmodum, cum agminatim res agitur, prudenti qvandoqve consilio moras nectimus, ut soli deinceps admittamur, qvi in turbâ vix visi essemus: ita differre tantisper istud, qvod Tibi debebam, obse-

qvi

qvum libuit, donec diffueret, qvod TIBI circumfusum erat agmen, ut eo fortius posti dea Benevolentiæ TUÆ insisterem. Munusculum verò etiam dum qværo, qvo me TIBI commendatum reddere possim, aliud non invenio, qvàm leve hoc, Auditorio tamen meo satis accuratum, & diu promissum analyseos exemplar. Postqvam enim Codicis Justinianei Professio mihi demandata fuit, unicè id incubui, ut Constitutiones ejusdem nec diffusè nimis, nec nimis concisè enuclearem, digressiones omnes vitarem, nihil præmitterem, nisi qvod ipsum textum attineret, nihil adderem, nisi qvod in eo minus perspicuè haberetur. In hoc studio dum distineor, Textum me aliqvando, qvemcunqve selegero, majore cum arti

 ti

tificio & apparatu domi meæ reſoluturum promiſi. Sed cum præſtare id propter impedimenta, qvibus premimur, diebus profeſtis non licuiſſet, inter ſacras meditationes tale aliqvid & circa talem qvidem Conſtitutionem, qvæ illas non ſufflaminaret, ſed promoveret magis, abſolvere decrevi. Et hinc igitur horis ſucceſſivis per cogitationes turbulentas ſæpè, ſæpè etiam fractas & diſtractas natum eſt iſtud, qvod nunc ſiſto, ſpecimen, Tibi qvidem fortè minus ſpecioſum, Auditoribus tamen meis, uti confido, non omninò ingratum. Eccur ergo, inqvis, mihi id offers? Breviter reſpondeo, me non admodum laborare, Tibi iſtud ut approbem, magis loborare, ut

ut animum, qvi æternùm devotus est & erit FRISIORUM Genti, ostendam. Hunc autem munusculo aliqvo, qvantumvis rudi, contestari malui, qvàm vacuis manibus ad aram tanti SEMONIS adscendere. Et qvid verò potius ferrem sacri Juris Præsidi, qvàm ex sacrâ Jurisprudentiâ depromtum Commentariolum? Patere ergo eundem Illustrissimo Tuo Nomini addici, eumqve observantiæ in TE meæ internuncium serenâ fronte accipe, qvin & me, qvod vehementer opto, in Nominis TUI Cultores admitte. Dab. VVitteberg. mens. Jul. A. O. R.
clↃ IↃc LXI.

L. 1. Cod. Ne sanct. baptism. iteret. (ex edit. Dionys. Gothofredi)

Imppp. Valent. Valens & Grat. AAA. ad Flavianum Vicarium Africæ.

Antistitem, qui sanctitatem baptismatis illicita usurpatione geminaverit, sacerdotio indignum esse censemus. Eorum enim condemnamus errorem, qui Apostolorum præcepta calcantes, Christiani nominis Sacramenta sortitos, alio rursus baptismata non purificant, sed incestant, lavacri nomine polluentes. Dat. XVI. Kal. Novembr. Constant. Gratiano A. IIII. & Merobaude Conss. 377.

Cum Bono Deo!

STudii Juris duas esse positiones, ἐξόχως olim prodidit Ulpianus *l. 1. ff. de just. & jur.* & post eum Justinianus §. 4. *Inst. eod.* publicum sc: & privatum. De privato nunc nihil attinet dicere. Publicum subsistere dicit ille in sacris, sacerdotibus & Magistratibus. Et hoc propriè publicum appellat Hubertus Giphanius, eiqve aliud qvasi publicum adjungit, cui jura fiscalia, militaria & municipalia substernit, *præfat. in Oecon. Cod. Justin.* Sed enim, ut qvasi publicum aliqvod jus fingamus, necesse fortè non est, præsertim si audiamus illos, qvi sub voce *Magistratibus* in *d. l.* Principem, leges, judicia, res civitatis & dignitates intelligunt, Dionys. Gothofred. *ibid.* aut cum Hugone Donello statuamus, non excludere voluisse Ulpianum reliqva juris publici objecta, sed exempli loco ea tantùm posuisse, qvæ solùm publica essent, id est, qvæ ad civitatis utilitatem tantùm pertinerent, nullam privatam, nisi per conseqventiam, *lib. 2. Commentar. c. 5.* at qvæ in minori gradu publica sunt, non propterea impropriè publica sunt. Id verò certum est, Ulpianum JCtum etiam divinum jus sub publico comprehendere voluisse, secus atqve Justinianus, qvi in *l. 23. C. de SS. Eccles.* jus divinum à publico sejungit, & triplex jus constituit, divinum, publicum & privatum.

II. Utcunqve verò generalis aliqva divisio ab aliis,

tùm Scholasticis, tùm JCtis aliter adornetur, de qvibus Gisbertus Voëtius *disp. de Jur. & justit. Dei n. 2*, ipsa tamen Codicis Justinianei dispositio apertè ostendit, etiam in studio juris divino suos occupatos esse debere Lectores. Nec aliter id observatum olim, cum inter Gentiles ad huc versaretur Romana Jurisprudentia, cujus qvidem partem eam, qvæ de sacris agit, omiserunt Digestorum Compilatores Christiani, ab JCtis tamen ejus temporis non neglectam aut prætermissam fuisse vel illud argumento esse potest, qvod plerique JCti aut Pontifices fuerint, aut augures. Uti præter historias testatur Pomponius *l. 2. ff. de Orig. Jur.* Vid. Francisc. Balduin. *ad §. 1. Inst. de just. & jur. n. 21.*

III. Et sic verò etiamnum satis habet Juris Consultus, qvod piè meditetur, etiam in ipso artis aut scientiæ & Professionis suæ principio aut fundamento, non qvod omnia in Corpore Juris inveniantur, & Juris Consultus Theologiæ nullam planè operam dare debeat extra juris nostri libros, uti perperàm colligit Accursius, *ad l. 10. ff. de Just. & jur.* meritò vapulans Claudio Espencæo Theologo Parisiensi *comment. in Epist. ad Tit. c. 1. p. m. 487.* sed qvod ex ipso Juris sui Syntagmate ad fidei principia cognoscenda identidem invitetur & remittatur, ita, ut ea qvæ de Religione salubriter constituta sunt, intelligere neqveat, nisi theologicum sibi comparaverit judicium, & aliunde probè instructus advenerit.

IV. Sunt enimverò & Theologiæ & Jurisprudentiæ certi sui fines & qvidam veluti cancelli, intra qvos unaqvæqve, qvod suum est agat. Et hactenus sc. etiam divinas res pro objecto non aliter habet Juris prudentia, qvàm qvatenus de jure earum qværitur, ut sciamus, an in iis, aut ad eas, & qvatenus jus aliqvod competat, Arnold. Vinnius

in

in §1. *Inst. de just. & jur.* Vicissim tamen non invita Jurisprudentiæ permittit Theologia, ut ex suo nonnunqvam mutuetur promptuario, qvod ad meliorē rerum facit notitiam, præsertim, cùm non JCti tantùm simus hodiè, sed etiam JCti Christiani. Vid. qvæ in hanc rem disserit Besoldus *in templ. justit. n. 65.* imò verò nolim ego tali me JCto committere, qvi solo Prætoris edicto contentus, religionem ad id non pertinere, ex notissimo illo, non malo tamen Cujacii effato persvasum habuerit.

V. Sanè Theologia Moralis, cum & ipsa pleraqve Jurisprudentia circa mores hominum versetur, dubium non est, qvin sæpè paria cùm eâ faciat, saltem in librandâ aut æqvandâ pœnâ ad proportionem præcedentis culpæ. Longius tamen etiam hîc progreditur Theologia, & eos qvoqve actûs punibiles reputat, qvos ne qvidem attendit Jurisprudentia, ut vel hinc pateat, non esse catholicum, qvod vulgò fertur, secundam tabulam Decalogi magis ad JCtos pertinere, qvàm ad Theologos. Vid. Alberic. Gentil. *de nupt. p. 1. c. 5, & c. 10, n. 13. 15, 16.* Etenim JCtus de motibus hominis vitiosis tùm primò primis, tùm secundò primis, uti vocant, nullam planè instituit διάσκεψιν, sed cogitationis pœnam neminem pati debere, simpliciter asserit *l. 18. ff. de pœn.* At hîc Theologus totùs fertur in conscientiam hominis, atqve in eam Legis divinæ fulmina evibrat, qvippe qvam non externa tantùm hominis membra, sed ipsas etiam facultates internas, & omnia viscera obligare, ex verbo DEi ostendit. Intelligo autem hîc Theologum Moralistam, qvatenus verbo divino insistit, non nugivendos illos & impudentissimos atq; impios Romanæ Ecclesiæ Casuistas, Ludovico Montaltio eleganti Scriptori *in Epistolis provincialibus* notatos, qvi propter opinionum,

 qvam

qvam vocant, probabilitatem, juxta sententiam ex unius sæpè malè-sani cerebro natam ad consulentium arbitrium respondent; qvamvis ipsi sententiam istam falsam esse, certò persvasum habeant. Circa istos tales verum existit, qvod post alios notat Franciscus Cardinalis Mantica *Lucubrat. Vatican. l. 2. t. 1. n. 58.* in explicando jure divino, qvatenus illud ad moralem philosophiam pertineat, majorem esse autoritatem Doctorum juris Pontificii, qvàm Magistrorum in Theologiâ.

VI. Qvandoqvidem igitur JCto non minor Religionis cura est habenda, qvàm Theologo, saltem qvod præcipua ejus capita concernit, & elegantissimæ Christianorum Imperatorum Constitutiones etiamnum inter jura Romana prostant, qvibus vel ea, qvæ ad fidem pertinent, vel qvæ ad mores & externam disciplinam faciunt, Imperatoriâ autoritate proponuntur, JurisConsulti autem officium est, non verba tantùm & externum corticem legum sectari; sed in ipsas qvoqve cujusqve Constitutionis rationes penetrare, originem, occasionem, causas, finem inqvirere, & uti privata, sic etiam publica jura tractare, ad hanc militiam nos qvoq; satis jam auctoratos arbitramur. Cumqve resolutionem *L. Antistitem 1. Cod. ne sanct. baptism. iteret.* pro derelicto hactenus habitam inveniamus, id qvod nullius est occupantes, nec insubidum, nec injurium opinamur, si nostrâ operâ eam paulò illustriorem reddamus, & Auditoribus nostris accuratioris analyseos specimen in Juris Justinianei sacris exhibeamus.

VII. Qvia autem pleræqve Codicis nostri Leges partim à capite suo divulsæ inveniuntur, h. e. principiis & præfationibus mutilatæ, partim distractæ à se invicem, qvæ antea cohæserant, partim etiam conglutinatæ nunc, qvæ

antea

antea separatæ erant, non exiguus is erit Interpretis labor, ut horum restitutione viam sibi ad verum & genuinum cujusqve textûs intellectum sternat, & qvoad unamquamqve Constitutionem extendere liceat, horum contemplatione determinet. Et huc sc. faciunt, qvæ de Autore, de tempore, de personis, qvibus latæ fuerint leges, & ejusmodi aliis conqvirendis opportunè consulunt analyticæ doctrinæ Interpretes. Qvæ omnia ex nostro etiam jam memorato textu investigare, operæ erit precium.

VIII. Autorem qvod concernit, facit enim id haud parum ad genuinam textûs interpretationem, ipsa inscriptio veluti oculiferium qvoddam Valentinianum, Valentem & Gratianum prodit; de qvâ tamen, num rectè se habeat, subdubitare cœpimus, præsertim cùm subscriptionem illi minus respondere ex annorum computatione discerenus, & exinde alterutram vitiosam colligeremus. Editam enim legem hanc profitetur subscriptio *XVI Kalend. Novemb. Constantinop. Gratiano A. IIII. & Merobaude Coss.* Incidit id tempus in annum Christi CCCLXXVII, ad qvem Valentiniani senioris vita nunqvam pervenit, utpote qvi Gratiano III. & Ecætio sive Eqvitio Coss. ut habet Socrates *l. 4. c. 26.* vel Valente V. & Valentiniano Coss. ut habet M. Aurelius Cassiodor. *in Chron.* extremum vitæ diem obiit. Utrumqve tempus annos Consulatûs Gratiani & Merobaudis præcessit; nec igitur potuit Defuncti nomine ulla Lex scribi aut promulgari. Imò nec debuit, qvandoqvidem non per Gratianum tantùm, sed per Valentinianum etiam juniorem filios, illum vivo adhuc patre, hunc sexto post ipsius mortem die Imperatores renunciatos, jam satis obtineri poterat in Occidente Majestas, ut proinde frustra à Defuncto mutuo accipiatur potestas νομοθετικὴ, ubi ea penes Viventem *in πρωτῳ* invenitur.

IX.

IX. Qvod si qvis per Valentinianum non seniorem illum, sed juniorem ejus filium intellectum velit, uti qvidem oportet, non sanè debuit ille primo loco scribi, qvippe infans adhuc, Cæsar omnium novissimè creatus, & qvem meritò antecedunt Patruus atqve Frater natu major. Nec verò diversum qvid facilè invenire licet in Codice Justinianeo, sed ubiqve aut major natu aut qvi diutius imperium tenuit, reliqvis præfertur. Nec opus est, ut prolixius id atqve aliorum Imperatorum exemplo comprobetur, cum hic ipse Valentinianus II. semper post Valentem & Gratianum alias scribatur, ut *l.3. C. de Off. Præf. Urb. l.2. C. de adv. div. judic. l. 2. C. ubi Senat. vel Clariss. l. 24. C. de probat. l. 10. C. de testib. l. 5. C. qvor. appell. non recip. l. 23. C. ad L. Corn. de falsf. l. un. C. qvand. civ. act. crim. l. un. C. ne op. à collat. exig. l. 2. C. de mancip. lib. XI. l. 2. C. de Palatin. sac. larg. lib. XII. l. 1. C. de tyron. lib. XII.* Sic Valente defuncto & Theodosio imperii Orientalis consorte recepto, hic ipse Valentinianus secundo post Gratianum loco ut *l. 4. C. de defens. Civit. l. 1. C. de summ. Trin. l. 6. C. de fer. l. 1. C. de sportul. l. 24. C. de Procur. l. 15. C. de resc. vend. l. un. C. si rect. prov. l. 7. C. de suscept.* & tandem post mortem Gratiani Arcadio ad imperii consortium evecto, primo loco scriptus reperitur, prout videre est *ex l. 5. C. de Judæis & Cælic. l. 7. C. de fer. l. 7. C. de offic. rect. prov. l. 25. C. de procur. l. 9. C. de suis & legit. lib. l. 16. C. de resc. vend. l. 2. C. qv. mul. tut. off. fung. l. 1. C. de tut. illustr. pers. l. 2. C. de off. div. jud. l. 2. C. ne rei dom. vel templ. vind. l. 1. C. de decur. Urb. Romi lib. XI. l. 24. C. ad L. Corn. de falsf. l. 7. C. unde vi. l. 9. C. de malef. & mathem. l. 2. C. de proxim. sacr. scrin. lib. XII. l. 9. C. de susceptor. lib. X.* & aliis pluribus.

X. Cum igitur tàm constans ubiqve reperiatur ordo, ab imperito qvodam librario inscriptionem textûs nostri

luxatam

luxatam fuisse oportet, qvam proinde nunc ita restituimus ut Valentiniani nomen ultimo loco legatur, hoc modo: IMPPP. VALENS, GRATIANUS, ET VALENTINIANUS AAA. moti imprimis inscriptione *l. 8. C. de edif. priv.* qvæ eodem mense & iisdem Consulibus triduo post promulgata est, cum verosimile haud fiat, intra istud triduum tam enormem in ordine Imperatorio contigisse mutationem, ut primus deinceps esset, qvi postremus paulo ante fuerat, & ut puer undecim annorum, qvippe natus anno Christi CCCLXVI. Januarii 18. ut Idatius memorat, præferretur simul patruo & fratri natu majori. Qvin nec infreqvens est, transponi à Librariis interdum nomina uti videre licet ex *l. 2. C. de fruct. & lit. expens.* collat. cum *l. 1. tit. 18. libr. IV. Cod. Theod.*

XI. Scripseram jam ista, & optimè sibi nunc inscriptionem constare existimabam, cum opportunè in manus sumerem Codicem Theodosianum, & ex eo discerem, rectè qvidem se habituram fuisse istam, qvam consignavi, emendationem aut conjecturam, nisi Tribonianus distinctas diversorum Imperatorū Constitutiones consuisset & pro unâ venditasset, inscribtiones autem & subscribtiones pro arbitrio interpolasset. Sic enim diversis Constitutionibus leguntur verba textûs nostri in Codice Theodosiano *lib. XVI. tit. VI.*

I. IMPP. VALENTINIANUS ET VALENS AA. AD JULIANUM PROC. AFRIC.

Antistitem, qvi sanctitatem Baptismi inlicitâ usurpatione geminaverit, & contra instituta omnium eam gratiam iterandorum contaminaverit, sacerdotio indignum censemus. Dat. X. Kal. Mar. Treu. Valentin. & Valente IIII. AA. Coss.

II.

II. IMPPP. GRATIANUS, VALENS ET VALENTINUS (leg. Valens, Gratian. & Valentin.) AAA. AD FLAVIANUM VIC. AFRICÆ.

Eorum condemnamus errorem, qvi Apostolorum præcepta calcantes Christiani nominis Sacramenta sortitos alio rursus baptismate non purificant, sed incestant, lavacri nomine polluentes. Eos igitur auctoritas tua erroribus miseris jubebit absistere &c. Dat. XVI. Kal. Novembr. CP. Gratiano A. IIII. & Merobaude Coss.

XII. Potuisset excusari Tribonianus, qvod diversorum Imperatorum Rescripta in unum congesserit (nec enim in eo mandati fines supergressus videtur) dummodo tempora accuratius observasset, nec inscribtiones & subscribtiones parum sibi congruentes, inter se tàm infeliciter miscuisset. Certus sum, deceptum illum fuisse ex eo, qvod in utroqve Codicis Theodosiani textu Valentinianum inter autores istorum Rescriptorum legeret, & idcirco eundem utrobiqve intelligi debere persvasum habuisse: Sed qvid aliud inde colligimus præter insignem Triboniani [illegible] aut incuriam potius & negligentiam. Nec enim leves hinc nonnunqvam resultant errores, qvos profectò haud facilè qvis superaverit, nisi ipsi ex antiqvis subinde ruderibus & rebus qvasi deperditis succurratur.

XIII. Addimus hîc *ὡς ἐν παρέργῳ* aliam ejusdem Triboniani mixturam, similem priori & penè crassiorem, qvam non ita pridem qvasi aliud agendo observavimus. Lex III. *C. de abolit.* ex tribus aliis distinctissimis, lege sc. 2, 3. & 4. *C. Theod. eod.* ità consarcinata est, ut contextus qvidem

 Tribo-

Triboniani manum non facilè prodat, prodat tamen inscriptio & subscriptio. Lata enim fuit dicta lex secunda *Cod. Theodos.* à Valentiniano, Valente & Gratiano, anno CCCLXIX. Tertia à Gratiano Valentiniano & Theod. an. CCCLXXXII. qvarta ab Arcadio & Honorio anno CDIX. Has constitutiones spatio qvadraginta annorum editas ita inter se temperavit & interpolavit Tribonianus, ut ex tertiâ inscriptionem (secundum editionem Ludovici Rusfardi, nam in aliis vulgaribus inscriptio Valentinianum & Valentem tantùm profitetur, qvibus tamen Gratianus qvoqve jungi debuisset, censente Jacobo Labitto *in Ind. p. 220.*) & ex secundâ subscriptionem retineret, nec attenderet, Theodosium ante annum Christi CCCLXXIX. nondum fuisse consortem imperii, nec Augustum proclamatum. Qvod si deperditus nunc esset codex Theodosianus, qvis hîc manum Triboniani animadverteret? qvin pleriqve omnes Jacobi Labitti & nostro exemplo aut ex inscriptione subscriptionem, aut illam ex hâc emendarent, nòn infelici qvidem, parum tamen collineante conatu.

XIV. Patet hinc, primam textûs nostri partem à Valentiniano primo & Valente promulgatam anno Christi CCCLXXIII. alteram à Valente, Gratiano & Valentiniano Secundo, anno CCCLXXVII. Ubi tamen iterum hæreo, & mecum disqviro, qvi factum, qvod in primo Codicis Theodosiani textu Gratiani nomen non inveniatur, cùm tamen ille jam tùm anno CCCLXVII. à Patre in societatem imperii receptus fuerit, Dionys. Petav. *Rat. Temp. p. 1. l. 6. c 8.* & statim ab eo tempore qvam plurimæ Constitutiones & Rescripta alia ipsum Autorem profiteantur. Qvalia sunt *l. 3. C. de defens. Civ. l. 4. C. qvor. appell. non recip.* promulgatæ anno Christi CCCLXVIII. *l. 5. C.*

C *de*

de fer. l. 7. C. de bon. proscript. l. 3. C. de relation. promulgatæ Anno CCCLXIX *l. 7. C. de postuland.* promulgata anno CCCLXX. *l. 7. C. de serv. fugit. l. 2. C. de sentent. ex lib. l. 3. C. de gen. abolit.* promulgatæ anno CCCLXXI. Sanè non habeo, qvod dicam præsertim cùm similem mihi crucem fixerint *L. 8. 9. & 10. C. de profess. & medic. l. 2. C. de fructib. & lit. exp.* nisi qvod fortè per incuriam librariorum Gratiani nomen successu temporis fuerit omissum. hoc enim probabiliter asseri potest argumento *L. 2. C. de epis. audient.* cujus inscribtio Valentiniani tantum & Valentis nomen præ se fert, cùm tamen lex 19. *C. Theod. qvor. appell. non recip.* ex qvâ illa desumpta fuit, Gratianum qvoqve autorem profiteatur.

XV. De VALENTINIANO I. constat, fuisse eum vultu decentem, ingenio solertem, animo gravem, sermone cultissimum, temperantiâ singularem; excelluisse inprimis amore justitiæ, & ideò severum vehementem, & acerrimum extitisse, ut in puniendis sceleribus etiam nimius aliqvando putaretur, fidei qvæ græco verbo *ὁμοουσίας* appellabatur, professionem promotam anxiè cupiisse, bella adversus Alemannos, Saxones, Qvados, aliosqve populos feliciter gessisse, & tandem, cum Sarmatarum Legatis acriùs responderet, apoplexiâ subitò correptum interiisse. De qvibus omnibus Paul. Diacon. *l. 11. Epist.* Sext. A. Victor *in ejus vitâ. Socrat. l. 4. hist. c. 26.* Cassiodor. *in Chron.* Ruffin. *l. 2. hist. c. 2. & 12.* Sozom. *l. 6. c. 36.*

XVI. De VALENTE, fuisse eum à fratre Valentiniano anno Christi CCCLXIV. Augustum appellatum & sic in consortium imperii receptum, ita tamen ut divisis gubernarent partibus, & Valentinianus Occidenti, Valens Orienti præesset, & fuisse qvidem nonnullis virtutibus ornatum,

natum, de qvibus Sextus Aur. Victor *in Epit.* sed vitiis tamen qvamplurimis irâ præsertim, crudelitate, invidiâ, & qvod caput est, hæresi Arianâ ita infectum, ut reliqva, qvæ in ipso laudari potuissent, nullo numero haberentur. Illustria crudelitatis specimina notata Ammiano Marcellino *l. 19.* Socrat. *l. 4. c. 14. 15. 19.* Sozom. *l. 6. c. 14. 18. 35.* Theodoret. *l. 4. c. 24.* Ruffin. *l. 2. c. 5.* Autori appendicis Eutropianæ qvem vulgo Paulum Diaconum citant *lib. XI.* Jornand. *l. 1. de Regn. success. & aliis.*

XVII. De GRATIANO, fuisse eum Valentiniani I. filium ex Conjuge Severâ, ab ipso Patre Augustum renunciatum apud Ambianum in Galliis; Principem eximiæ corporis specie, præclarâ ad omnem virtutem & honestatem indole, & literis haud mediocriter eruditum, pium insuper, sed hæreticis oppidò facilem, qvippe *αὐτονομίαν* omnibus, tribus exceptis, Religionibus indulgentem, bello cæteroqvin & pace eximium, sed extremis imperii annis in publicis negociis haud parum negligentem, à Maximo tandem Tyranno dolo circumventum & per Andragathium Ducem in Galliis occisum, prout singula ista recensent Socrat. *l. 5. c. 2. & 11.* Sozom. *l. 7. c. 1. & 13.* Theodoret. *l. 5. c. 1. 2. & 11.* Epitomator Sext. A. Vict. *in vit. Grat.* Paul. Diacon. *l. 11.*

XVIII. De VALENTINIANO II. fuisse eum Valentiniani I. filium ex conjuge Justinâ Severæ superinductâ, propter qvas nuptias lata simul lex, ut cuilibet pro lubitu fas esset duas habere Uxores, prout narrant Socrat. *l. 4. c. 26.* Cassiodor. *in histor. trip. l. 8. c. 11.* Paul. Diacon. *l. 11.* Nicephorus Callistus *l. 11. c. 33.* & alii, neqvicqvam persvadentes Cardinali Baronio *ad ann. CCCLXX. §. 115. tom. 4.* & Johanni Seldeno *in Uxor. Hebr. l. 1. c. 9.* fuisse præterea in-

eunte ætate à Matre ad Arianam hæresin seductum, Ambrosio Episcopo Mediolanensi propterea infensum, à Theodosio autem graviter reprehensum, à Maximo Tyranno imperio exutum, ab Theodosio restitutum, deniqve ab Arbogaste Comite in Galliis occisum, postqvam sc. factus catechumenus baptismum ab Ambrosio, cui tandem benè velle inceperat, flagitasset. Vid. Epiphan. *de mens. & ponder.* Ambr. *sing. orat. funebr. de Valent. obitu, qvæ extat tom. 3. op.* Sozom. *l. 7. c. 22.* Theodoret. *l. 5. c. 13. 14.* Socrat. *l. 5. c. 14.*

XIX. Dispiciendum nunc, utrum universis istis ac singulis Impp. accepto ferenda sit constitutio, qvam explicamus, an uni tantùm. Etsi enim omnium simul imperantium nomina plerumqve legibus & Constitutionibus præscripta inveniantur, tamen, qvia divisis illi Imperium Romanum gubernarunt partibus, non potuit alter in alterius parte potestatem νομοθετικὴν cum effectu exercere, cùm & aliàs extra territorium jus dicenti impunè non pareatur. *l. 10. ff. de jurisdict.* Nisi igitur, qvi alteri illi parti præerat, Constitutionem communi nomine editam aliâ novâ Constitutione repeteret, (prout non unis vicibus factum fuisse apparet ex *l. omnes omnino 11. & l. hi qvi sacri 19. cum l. seq. C. Theod. de hæret.* item ex *l. clarissimos 2. & l. proximos 4. C. Theodos. de proxim. comit. Disposit.* maximè verò & clarissimè ex *l. Montanistas 48. C. Theodos. de hæret.*) sperni ista talis constitutio illic loci absqve omni periculo poterat. Qvò facit, qvod L. haruspicinam 9. *C. Theodos. de malef. & mathem.* utut Valentiniani, Valentis, & Gratiani nomina præ se ferat, tale dictionis genus contineat, qvod uni tantùm personæ singulari convenit, certissimo argumento, qvod à solo Valentiniano lex ea profecta fuerit. Nec enim usu

ita

ita receptum est, ut plures personæ de se loqvantur in singulari, qvemadmodum receptum est, ut una persona, qvæ τὸ κῦρος obtinet, de se verba faciat in plurali. Sigism. Scaccia *de sent. & re jud. gl. 2. q. 4. n. 17.*

XX. Noster verò textus, qvia, ut ante diximus, ex duobus aliis consutus est, qvorum uterqve peculiarem agnoscit autorem, non potest uni tantùm & soli adscribi. Priorem igitur ejus partem & sic primam Cod. Theodos. legem à *Valentiniano*; posteriorem & secundam ab Valente editam putamus, qvod tùm ex personis ad qvas, tùm ex loco, qvò unaqvæqve scripta fuit haud frustra colligimus. De personis postea dicemus. Locum prior Codicis Theodosiani lex nominat Trevirim, sive Augustam Trevirorum urbem metropolitanam in Belgicâ primâ ab antiqvitate suâ maximè commendatam, sed qvæ tamen ob aërem plerumq; nubilum & pluviosum Planetarum Cloacâ dici meruit, Aug. Ezler. *in Isag. phys. p. 43.* Ea cum ad Occidentale imperium pertinuerit, & per præfectum Prætorio Galliarum gubernata fuerit, non potuit hæc Constitutio ab alio promulgari, nisi ab eo, qvi per terras istas summam tenuit potestatem, qvam unicus & solus habuit Valentinianus.

XXI. Posterior Lex Constantinopoli scripta dicitur, qvæ cum diu Imperii Orientalis sede eminuisset, & ex eo nova Roma dicta fuisset; *can. 28. Synod. Chalced. Oecumen. qvarta. l. 6. C. de SS. Eccles. l. 5. C. de oper. publ. l. 5. C. in qvib. caus. pign.* (Unde etiam incolæ Orientis Romani & tandem discriminis causâ Romæi dicebantur, Joh. Selden. *comm. in Eutychii Orig. n. 18.*) tandem à barbaris direpta multo cum dolore infaustam sui memoriam reliqvit. Qvia igitur ea Valentis gubernationi cesserat, qvippe cui tota Imperii Romani pars

Orientalis à fratre Valentiniano permiſſa fuerat, utiq; etiã ſolum Valentem lex illa habebit autorem. Nec obligare idcircò potuit Occidentalis Imperii ſubditos, perinde ut nec Valentiniani ſuperior ſubditos Imperii Orientalis, niſi uterqve in ſuo qviſqve territorio legem ejusdem ſententiæ promulgaſſet.

XXII. Et hæc qvidem de autoribus. Seqvitur, ut de autoritate eorum, anteqvam ad alia pergamus, non nulla hîc adjiciamus. Cum enim tota Lex de Eccleſiaſticis negotiis, imprimis verò de Sacramento baptiſmi & degradatione Sacerdotis diſponat, iſta autem ad Clericorum curam maximè pertineant, nec miſceri inter ſe aut confundi debeant Eccleſia & politia, fruſtra ſibi iſtam poteſtatem ſumpſiſſe videntur Imperatores. Præmuniendus autem eſt benevolus Lector diſtinctione, qvâ poteſtatem Eccleſiaſticam dicimus vel externam vel internam. Utraqve verſatur circa Eccleſiaſtica, ſed altera nempe interna etiam eccleſiaſticè, in qvo differt ab externa. Eccleſiaſticè autem circa eccleſiaſtica verſari dicitur poteſtas tum, qvandò conſiſtit in docendo, ſolvendo & ligando peccata, Sacramenta adminiſtrando &c. ſive, ut verborum faciam compendium, qvæ ipſum proprium Clericorum munus reſpicit, qvatenus hi ab aliis in eadem Eccleſia membris diſtingvuntur. Juxta hanc igitur diſtinctionem interna poteſtas ſolis relinqvitur Eccleſiæ miniſtris, necqvidqvam de ea principi ſeculari competit, cum hujus reſpectu Principes omnes & Imperatores ovium loco ſint. Sed externa poteſtas Principes facit paſtores & eis jure Majeſtatis competit, non tantum in iis negotiis, qvæ Clericis & Laicis communia ſunt, uti qvidam volunt, cum ad iſta ſola ſufficeret poteſtas politica, ſed etiam in rebus ad ipſum cultum divi-

num

tium pertinentibus. In qvam sententiam benè Constantinus M. Episcopos intra Ecclesiam seu templum, se verò extra Ecclesiam à Deo Episcopum constitutum ait apud Euseb. *l. 4. de vit. Constant. c. 24.* Conf. Carpz. *injurispr. Consistor. l. 1. t. 1. d. 2. n. 13.*

XXIII. Ista potestas externa aliàs dicitur jus patronatûs regium, Finkelth. *de jur. patron. c. 3. n. 1.* & consistit tùm in jure regendi Ecclesiam, tùm in jure eandem tuendi. Neqve enim tantùm contra externam vim Religio à magistratu politico defendenda, uti visum Bellarmino *l. 3. de membr. Eccles. c. 18.* & sociennis, qvi præter jus advocatiæ Romano Imperatori ferè nihil concedunt, sed etiam qvid in ipsâ fiat Ecclesiâ, qvid doceatur, & qvàm benè officio suo fungantur Doctores, sedulò dispiciendum est. Et hinc igitur jus regendi qvinqve hæc potissimum continet capita. I. de instituendis & officio removendis Ecclesiæ rectoribus, de qvo vid. *l. 42. l. 47. l. 48. C. de Ep. & Cl. l. un. C. Theod. de Episcop. ordinat. l. 2. l. 3. C. Th. de haret.* II. de Ecclesiis visitandis & falsis cultibus corrigendis, in qvam rem sunt *l. 1. C. de summ. Trinit. l. 9. C. Theod. de Ep. & Cl. tot. tit. C. Th. de his qvi relig. contend. l. 6. C. Theod. de haret.* III. de foro Ecclesiasticis hominibus competente ipsorumqve privilegiis, de qvibus agunt *l. 33 l. 34. C. de Episc. & cl. l. 2. l. 9. l. 10. l. 12. l. 14. l. 15. l. 23. l. 47. C. Theod. eod.* IIII. de bonis sacris administrandis, uti sunt *l. 42. l. 43. l. 46. C. de Ep. & Cl.* V. de dijudicandis iis, qvæ ex utroqve jure tàm divino qvàm civili causæ mixtæ atqve concretæ esse censentur, qvò pertinent *l. 23. l. 27. l. 36. l. 49. C. Theod. de haret.*

XXIV. Qvanqvam verò primitiva Ecclesia à temporibus Apostolorum sine patronatu regio fuerit, qvippe constituta sub Magistratu idololatrico, nec cooperante ad exercitium potestatis Ecclesiasticæ, sed potius illud impediente,

stente, tamen postqvam summa imperii Romani Constantino M. credita fuisset, cœpit in eo qvoqve jus patronatûs regium in sensu specifico & in respectu ad Ecclesiam Orthodoxam consideratum radicari. Post cujus tempora cæteri deinceps Imperatores admodum feliciter jure isto usi fuerunt, leguntur(q); etiamnum plurimæ in Codice Justinianeo Constitutiones, qvæ primam juris regii partem in gubernatione sc. & jurisdictione consistentem ad Imperatores pertinuisse perspicuè docent.

XXV. De hoc tamen dubium fortè alicui nasci possit, utrum rectè à qvibusdam jus istud regium & potestas externa dicatur potestas architectonica, talis sc. qvæ uno habitu unâq; virtute influat per causas medias in effectum communem. Ita enim Aristoteles ferè prudentiam ἀρχιτεκτονικὴν describit *1. magn. mor. c. ult. & 1. metaph. c. 1.* Ego qvo minus eam ita appellare liceat, causæ nihil video. Cum enim Imperator in actione Ecclesiasticorum officiorum qvà talium ipse non occupetur, sed media ad agendum ut architectus ordinet & disponat, aut veluti peritissimus navis gubernator puppi insidens manu clavum teneat, & qvid docendum qvid refutandum sit, præscribat, utiq; & ipse qvoq; ratione sacrorum ποιητικὸς qvodammodo dici & istiusmodi ejus potestas architectonica appellari potest.

XXVI. Hoc namq; asserere nulli dubitamus: omne id, circa qvod versatur officium ministri Ecclesiæ, esse qvoq; objectum potestatis, qvæ est penes Majestatem, architectonicæ, qvatenus sc. potestas ista non ipsa qvidem agit, sed alios tamen hoc vel illud hoc vel illo modo agere jubet. Non enim placet eorum opinio, qvi potestatem solum referunt ad Oeconomiam Ecclesiasticam generalem, ut sc. sint & alantur aliqvi Pastores, Episcopi, Doctores, qvot &

qua

quo loco eos esse oporteat, ut ædificentur templa, in quibus peragi debeat cultus divinus, &c. quin potius occupatam quoque eam esse debere in determinandâ formâ & qualitate cultûs intrinsecâ, adeoq; Majestatem habere potestatem νομοθετικὴν circa ipsam determinationem doctrinæ fidei, confidenter nunc assero.

XXVII. Cum enim impossibile sit, ut vera felicitas civilis comparari possit aut integra servari citra potestatem ἀρχιτεκτονικὴν in Religionis negocia & cultum divinum in sensu diviso acceptum, utiq; vel ex eo manifestum fieri arbitror, quod majestas omnis civilis per se & ex naturâ suâ habeat summam potestatem circa cultum sacrum, quantum sc. illa ab homine aliquo exerceri potest. Deinde & hoc verum est, multum juvari tùm potestatem civilem, tùm civilem beatitatem per cultum DEi sanum & rectum. Consequens igitur est, convenire Majestati civili non minus ad rectam religionem, quam ad aliam aliquam virtutem civilem cives suos quà præmiis quà pœnis adstringere.

XXVIII. Sic igitur concludo; Quæcunq; religionis pars facit ad beatitudinem civilem, ea est Majestatis civilis imperio subjecta & vicissim. Quæcunq; religionis pars ad beatitudinem civilem non pertinet, illa Majestatis civilis imperio non est subjecta. Imperio inqvam, licet subjaceat qvodammodo ipsius curæ, qvatenus sc. in conscientiâ suâ obstrictus est ille, qvi τὸ κῦρος obtinet in Rep. ut civibus & subditis suis eam, qvam ipse pro verâ & genuinâ habet, religionem proponat. Qvo pertinet *l. 1. C. de SS. Trinit.* *l. 43. C. de Ep. & Cler.* add. Dn. Conring. *exercitat. de majest. civil. autor. & offic. circa sacr.*

XXIX. Qvibus ita positis, in proclivi nunc est colligere, Theologiam naturalem, qvæ DEUM unum, in cor-

D po-

porcum, immutabilem, adorandum &c. docet, ita impe-rari à Majestate posse, ut nisi qvis obtemperet, aut contrarium docere conatus fuerit, puniri pro qvalitate delicti qveat. At verò cùm propter pravitatem intellectus & voluntatis homo nec naturalem Theologiam semper assequi nec virtutibus studere ex congruo possit, ut taceam, nec solitariam hodiè sine aliqvo additamento facile inveniri Theologiam naturalem, utrumqve verò præstare possit Religio Christiana, qvippe qvæ ostendit homini, qvo modo & ex præscripto rectæ rationis DEUM colere & vitam rectè instituere oporteat, non absurdè hinc colligo, saltem naturalis illius cultus divini ergò Religionem Christianam à Civitate benè institutâ abesse non debere. Qvia verò Theologiam naturalem Christiana Religio non perficit tantum, sed etiam alia qvædam superaddit, qvæ puræ aliàs revelationis divinæ dicuntur, utiqve illam veluti ad beatitudinem civilem pertinentem cum sanctione aliqvâ imperare, hæc autem, qvippe ad societatem civilem haud perinde facientia non tam imperare, qvàm proponere & ad ea amplexanda invitare poterit Majestas.

XXX. Sed nec naturalis Religionis pars omnis eodem modo videtur Reip. necessaria, nec omnis etiam æqvè facile intelligi aut concipi potest, & proinde non eadem ubiqvè pœna omnibus circa hanc religionem delictis erit imponenda. Qvin imò fieri potest, ut mitius interdum tractari dissentientes & à pœnis promeritis abstinere Majestatem oporteat, præsertim, ubi graviùs qvid Reip. imminet periculum. Et ideò Imperatori Constantino satis fuit templa paganorum claudere, & sacrificiis interdicere *l. 1. C. de pagan.* qvorum tamen tota Religio impietas erat.

XXXI. E contrariò fieri potest, ut circa ea, qvæ superaddidit fides Christiana, qvæqve imperio civili subjacē-

re negavimus, aliqvid committatur interdum, qvod severiorem Magistratûs animadversionem flagitet. Etsi enim intellectûs actiones, inter qvas sine dubio numeranda qvoqve venit Religio, neqvaqvam legibus definiri possint, cum non sit in arbitrio hominis intellectu aliqvid asseqvi aut non; tamen qvia in arbitrio hominis est suum de DEo colendo conceptum vel tegere, vel profiteri, & hactenus saltem ad voluntatem humanam spectat religio, utiqve, qvatenus ea voluntatis opus est, legibus vinciri & ab imperantibus determinari potest & debet, ut ne sc. latius serpat hæreseos malum, aut vacillare discant in Religione Cives.

XXXII. Ex qvibus omnibus hoc tandem evincitur, esse principis in rebus sacris potestatem verè architectonicam, & versari eam non circa externam tantùm aliqvam Oeconomiam, sed circa ipsam etiam internam cultûs divini qvalitatem & formam, nec præscribere tantùm posse ritûs & ordinem, sed ipsam qvoqve normam & rationem colendi DEUM, utut potestas ista qvoad vim ἀναγκαστικὴν deinceps ratione objectorum diversimodè se habeat.

XXXIII. Istam verò totam & universam potestatem Pontificii Magistratui politico denegant, & externam tantùm aliqvam Advocatiam ipsi largiuntur. Nefas esse terrenæ qvantæcunqve potestati rebus Ecclesiasticis manum admovere, scribit Theophilus Raynaudus *in Coron. p. 353.* imò nefas esse, potestatem qvamqve Laicam de rebus sacris leges sancire scribit idem *p. 373. 383. 389.* conf. qvæ habet impudentissimus Papæ assentator Jac. Anton. Marta *de jurisdict. Eccles. p. 2. c. 6. & passim.* Et hinc igitur exiguum istud juris, qvod Imperatori in collationibus & præsentationibus, qvales vulgo primarias preces appellant, adhuc re-

linqvunt, ipsi non tanqvam Imperatori aut tanqvam Nutricio Ecclesiæ, sed ex privilegio & indultu Papæ vel ex consvetudine potius competere asserunt. Mart. *de jurisd. p. 4 c. 40.* Andr. Gail. *2. obs. 155. n. 7.* Palacios Rubios *in libell. de benefic. in curr. vacant.* Renat. Choppinus *de sacr. Polit. l. 1. t. 10. n. 13.* Sed enim qvomodo possunt aliter, supposito nempe hoc illorum principio: Papam Romanum omnem potestatem Laicam transcendere, in illo esse fontem & originem omnis principatûs, & ab eo cæteras potestates defluere, imò, qvod habet Felin. *in c. 1. de constit.* Papam non solùm habere potestatem super cœlestia, terrestria & infernalia, sed etiam super angelos bonos & malos. Vid. Canonistæ & Scholastici, qvos magno numero allegat Dn. D. Dorscheus *diss. 3. sup. Ps. CX. n. 41.* Sed istum Papæ principatum ignoravit ætas Justiniani.

XXXIV. Hæc de autoritate Legislatorum, ut constet sc. qvo jure circa Religionem constitutionem suam promulgarint Imppp. Seqvitur, ut dispiciamus Gentem, cui ea promulgata fuit, qvam Africanos fuisse noster prodidit Tribonianus. Sic enim se habet inscriptio: IMPPP. VALENT. &c. AD FLAVIANUM VICARIUM AFRICÆ. Sed qvia textum hunc ex duobus aliis consutum & consarcinatum fuisse jam supra ostendimus, rectius fecerimus, si utriusqve inscriptionem ex Codice Theodosiano repetamus. Sic igitur se habet inscriptio Legis I. IMPP. VALENTINIANUS ET VALENS AA. AD JULIANUM PROC. AFRICÆ: Inscriptio Legis II. IMPPP. GRATIANUS, VALENS, ET VALENTINIANUS AAA. AD FLAVIANUM VIC. AFRICÆ. Utraqve ergo Lex Africanis data est, qvarum altera ad ProConsulem, altera ad Vicarium directa fuit.

XXXV. Verum enim verò cùm posterior Lex Constantinopoli ab Valente conscripta sit, qvomodo potuit ea ad Africanos Occidentalis Imperii subditos pertinuisse aut eos obligare, cùm uti supra dixi, extra territorium jus dicenti impunè non pareatur *per l. 20. ff. de jurisdict.* Suspicor mendum hic subesse in Codice Theodosiano, nec fallor forte, si in Lege secundâ pro AFRICÆ legam ASIÆ. Et omninò ita legendum est, qvippe dubitare amplius non finit textus Justinianeus ex editione Ludovici Russardi. Pro eo enim qvod vulgariter legunt: AD FLAVIANUM VICARIUM AFRICÆ in editione Russardi, qvin & antiqviore aliâ Andreæ Boucardi legitur: AD FLORIANUM VICARIUM ASIÆ. Et sic igitur restituendus est textus in codice Theodosiano.

XXXVI. Patet hinc, primam textûs nostri partem ad Occidentalem provinciam, secundam verò ad Orientalem pertinuisse. Non verò putandum est AFRICÆ & ASIÆ nominibus hic totas istas & integras terræ partes venire, licet totæ ferè & integræ Romanis paruerint, Vid. Appian. Alexandrin. *in proœm. libri Lybici.* sed intelliguntur peculiares hic & singulares provinciæ, qvarum utraqve κατ' ἐξοχὴν aut in specie dicebatur ab continente suo. Et Africa qvidem omnis sumpta pro qvartâ parte Orbis Terrarum divisa erat ab Constantino in qvinqve provincias, Byzacium nempe, Numidiam (omissam à M. Zuerio Boxhornio in notitiâ qvam recenset *p. 296. histor. univers.*) qvæ consulares fuere; Tripolim deinde, Mauritaniam Sitifensem & Mauritaniam Cæsaream Præsidales sive Præsidiales, omnes tamen & universas istas qvinqve Vicario Africæ subjectas, qvibus accedit, qvam Sextus Rufus sextam facit, Proconsulari, Africa specialiter ita dicta, à ProConsule, ad qvem

prioris Codicis Theodosiani textus spectat, gubernata, totus sc. circa Carthaginem tractus, qvem etiam ita inter provincias refert collatio Carthaginiensis *cognit. 1. c. 1.* Vid. *Notit. Imper. Occid.* & ad eam Gvid. Pancirol. *p. 80. & p. 91.* Autor Eucharistici Jacobo Sirmondo pro adventor. *de region. & Eccles. suburb. miss. p. 240.* Christoph. Justell. *not. in Canon. Eccles. Afric. p. 51.* De Justiniani distinctione qvæ extat *l. 1. C. de off. P. P. Afr.* cum textu nostro multo sit recentior, non est qvod solliciti simus.

XXXVII. Similiter nec Asia in *l. 2. C. Theod. h. t.* omnem & totum illum tractum, qvi pro qvartâ mundi parte aliàs venditatur, significat, sed Asiam tantùm minorem, Natoliam hodiè dictam, nec eam tamen omnem, sed illas solùm provincias, qvæ Vicario diœceseos Asianæ parebant. Tales verò Notitia Imperii Orientalis prodit octo; Pamphyliam sc. Lydiam, Pisidiam, Lycaoniam, Phrygiam Pacatianam, Phrygiam salutarem, Lyciam & Cariam. Vid. Gvid. Pancirol. *comm. p. 182.* & add. tab. Geogr. Abrah. Ortelii *lit. Q.*

XXXVIII. De Officio & dignitate ProConsulis non opus est, ut prolixè hic agamus. Vid. Liv. *in princ. l. 3.* Dion. *in fin. 11.* Andr. Dom. Flocc. *l. 1. de potest. Rom. c. 11.* Pomp. Lætus *l. 1. de magistr. Rom. c. 23.* Andr. Alciat. *de Magistr. & offic. Rom. p. 223.* Jan. Gvilielm. *de Magistr. R. c. 24.* Just. Lips. *in lib. 1. annal. Taciti p. 73. & in lib. 15. p. 412.* Marcell. Donat. *in Sveton. August. c. 36. p. 358. & c. 47. p. 441.* Petrus Cossalius, Justus Meyerus, Dn. Franzkius, Dn. Hahn. Dn. Struv. & JCti communiter *ad tit. Digest. de offic. ProConf.*

XXXIX. Nec opus etiam est, ut compilemus hic ea, qvæ Dd. *tit. C. de offic. Vicarii* commentantur. Sufficit nosse, Vicarium dictum ab eo, qvod vices Præfecti Præ-

rio gereret, uti etiam Ulpianus innuit *l. 1. §. 4. ff. de leg. 3.* & Constantinus *l. 19. C. de appell.* Unde & vicariam præfecturam agere dicitur *l. 3. C. de præscript. long. temp. l. 3. C. Theodos. de sponsal.* Ejus officium fuit ea, qvæ à præfecto aut etiam ipso Principe imperabantur exeqvi, tum & observare præsides provinciarum, ne qvid iniqvum committerent vid. Cujac. *in paratit. & Ant. Perez. in Prælect. ad d. t. Cod.* Gvid. Pancirol. *in notit. Imperii Orient. p. 183.* Pertinet autem talis Vicarius ad classem secundam Vicariorum, qvam facit Rob. Maranta *de ord. judic. part. 4. dist. 5. n. 7.* eorum sc. qvi constituuntur ab eodem superiore, à qvo fuerunt constituti Ordinarii, in qvorum locum surrogantur. Et igitur, qvia ex constitutione Principis jurisdictionem accipiunt, propriam eam habent jure Magistratus. Conf. Hillig. *in Donell. enucl. l. 17. c. 18. lit. I.*

XL. Satis de inscribtione, ex qvâ simul id clarum evadit, textum hunc nostrum optimo jure referri inter Rescripta, aut si mavis, inter mandata, prout sc. eum aut ad suggestionem ProConsulis & Vicarii, aut sine suggestione proprio motu ab Imppp. conceptum & promulgatum supposueris.

XLI. Et nunc verò tandem aliqvando ipsum textûs argumentum, accuratius nobis pensitandum est, ad cujus intellectum ex historiâ Ecclesiasticâ, qvæ huc faciunt, strictim consignare oportet. Seculo III. Agrippinus Carthaginensis Episcopus primus omnium mortalium (sunt verba Vincentii Lirinensis *l. contra hæres. c. 9.*) contra divinum Canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem ac instituta majorum rebaptizandum esse censuit. Utqve obtineret hæc ipsius sententia in Ecclesiâ, omnes Numidiæ

&

& Africæ Episcopos convocavit, eorumqve Communi sententiâ dogma suum stabilivit. Factum id A. C. CCXVII. uti vult Franciscus Longus Coriolan. *in Summ. Concil. p. 22.* Nec tamen tum gravis aliqva concertatio de valore baptismi ab hæreticis collati, eorumq; rebaptizatione inter Doctores Ecclesiæ adhuc audiebatur, qvin, utut sub Agrippino usus & ritus rebaptizandi invaluisset, per modestam tamen contradictionem ad meliora reversurum ejus rei autorem, & sic errorem ipsum extingvi nullo negotio posse putabant reliqvi, donec tempore Cypriani acrius inter se collidérentur Ecclesiæ Africana, Asiatica & Europæa.

XLII. Cùm enim Magnus qvidam, homo Laicus de ritu isto rebaptizandi dubitare inciperet, & Episcopi qvoqve Numidiæ Synodum, qvam anno CCLVIII. Carthagine coëgerat Cyprianus, eâ de re consuluissent, definivit Synodus, qvia unus esset in sanctâ Ecclesiâ baptismus, neminem foris extra Ecclesiam baptizari posse. Vid. Cyprianus ipse *Epist. LXX.* Cumq; essent, qvi difficulter eam sententiam admitterent, nec ante Agrippinum unqvam obtinuisse contenderent, ut ex *epist. LXXI.* qvæ est ad Qvintum Mauritaniæ Episcopum, patet, Cyprianus mox aliam eodem anno & majorem qvidem LXXI. Episcoporum congregavit Synodum, qvæ non tantum idem, qvod prior illa, sancivit, testante *Epist. LXXIII. ad Jubajanum*, sed etiam totum istud negocium per Synodicam Epistolam Stephano Episcopo Romano exposuit.

XLIII. Verum Stephanus nihil præter aut contra traditionem ex antiqvo obtinentem innovandum esse putans Cypriano ob hanc causam indignabatur. Euseb. *l. 7. c. 3. Can. præter dist. 32.* Unde ipse etiam vicissim Cyprianus temperare sibi ab acerbioribus qvibusdam verbis haud

haud potuit, præsertim in *Epist. LXXIIII.* qvam ad Pompejum Sabjatensem in Africâ Episcopum scripsit de qva vid. Theoph. Raynaudus *de coron. aur. sup. mit. Pontif. p. 458.* Convocatis igitur ex Africâ, Numidiâ, & Mauritaniâ Episcopis LXXXVII. iisdemq; Carthagine coëuntibus eodem anno CCLVIII. tertium in eâdem baptismi causâ Concilium celebrat. Cujus initio recitatis hinc inde literis scriptis, Stephanum tacito ejus nomine suggillat. Nec aliud ferè in istâ Synodo peractum, nisi qvod sententia ejus tertiùm confirmaretur. Vid. Baron. *ad ann. CCLVIII. n. 17. 18. seqq.* Binius *in act. ad tom. 1. Concil. edit. Colon. p. 195.*

XLIV. Qvanqvam autem Cyprianus aliqvam apud benignos excusationem invenire possit, si cogitetur, tales tùm temporis fuisse hæreticos, qvi omnia Christianæ fidei fundamenta sollicitaverint, & Christiani esse verè desierint, qvales fuere Gnostici, de qvibus Irenæus *l. 1. c. 24.* Epiphan. *hæres. 26.* Hieron. *l. de Script. Eccles.* Augustin. *hæres. 6.* Petr. Svav. *hist. Conc. Trid. p. 269.* & ejus farinæ plures; Tamen negandum non est, aliqvid humani passum fuisse Virum sanctissimum, dumq; ab hæreticis neminem verè baptizari posse, sed verum baptismum in Ecclesiâ solùm conferri contenderet, imprudenter & præter voluntatem Anabaptismo patrocinatum fuisse. Interim tamen unitatem Ecclesiæ servavit, & ab aliis propter hunc lapsum communione non est exclusus, nec ipse etiam alios, qvod sibi consentire nollent, exclusit, vid. Dn. D. Hülseman *in supplem. c. 13. Breviar. n. 8.* Franc. Balduin. *in comment. rer. Eccles.* bono ad posteritatem exemplo, fratres alicubi dissentientes æqvo animo interim ferendos, nec anathematis fulmine illicò feriendos esse, qvod gnaviter inculcat idem Cyprianus *lib. de bono patientiæ*, qvem occasione hujus con-

troversiæ & qvod magnum in Ecclesiâ dissidium metueret, conscribsit. Conf. Rittershus. *ad Salvian l. 7. de gubern. Dei. p 313. seq.* Retractâsse autem Cyprianum qvod senserat nullibi legimus, qvanqvam probabiliter id asserat Franc. Longus Coriolanus *annot. ad Concil. Carthag. III. p. 28.* qvin potius cum Augustino dicti erroris notam martyrii falcem in sancto Viro repurgâsse amabiliter judicamus.

XLV. Nec verò sola erat Africa, qvæ istum in Ecclesiâ errorem committebat, sed eodem tempore Asia qvoq; simile qvid patiebatur. Cum enim qvid de Cataphrygarum aliorumq; hæreticorum baptismo sentiendum esset, controversia nasceretur, in Iconio Phrygiæ oppido convenerunt Cappadociæ, Ciliciæ, Galatiæ aliiq; Orientales Episcopi eodem anno CCLVIII. & decreverunt, nihil eorum, qvæ ab hæreticis facta essent, ab Ecclesiâ Orthodoxâ recipiendum esse, Ordinationes, baptismum, manuum impositiones, aliudve sacrum qvodvis ab hæreticis administratum invalidum esse. Qvod cum resciret Stephanus; Episcopos istos excommunicavit ad unum omnes, Synodum totam reprobavit, eorumq; Legatos nec ad colloqvium qvidem admisit, acerbè propterea notatus Firmiliano Cæsareæ in Cappadociâ Episcopo ap. Cyprian. *Epist. 75.*

XLVI. Similiter & Synadis in Asiâ eodem tempore qvo Iconiense, habitum fuit Concilium, in qvo idem error confirmatus brevi tempore totum istum pervagatus est terræ tractum. Et sic Asia duorum, Africa trium Conciliorum decretis dogmati isti magnam conciliavit autoritatem, qvam proinde haud frustra veretur Dionysius Episcopus Alexandrinus ad Philemonem Presbyterum Romanum apud Euseb. *l. 7. c. 6. Diditi & hoc, non nunc primum eos, qvi in Africâ sunt, aut illos solos hoc invexisse, sed longo antè*

tem-

tempore (non certè admodum longo, cùm intra unius anni spacium omnes istæ synodi habitæ fuerint, & juxta Vincentium Lirinensem *c. 9.* Agrippinus omnium primus istud dogma proposuerit) *& Episcoporum, qvi ante nos fuerunt, memoria in populosissimis Ecclesiis, & fratrum, qvæ Iconii, Synadis & pluribus in locis coacta fuerunt conciliis, id statutum esse. &c.* Tam vehementer ergò Ecclesiam universam disceptatio ista tùm concussit & turbavit. De qvâ, si lubet, vide sis ulterius ὡς ἐν ἐπιδρομῇ conr. Hornej *comp. Hist. Eccles. l. 3. c. 6.* D. König *in casibus catechcticis p. 245. seqq.*

XLVII. Sed restituta tamen fuit non ita multo post concordia Ecclesiæ, in Asiâ qvidem per Dionysium Alexandrinum teste Euseb. *l. VII. c. 4.* In Africâ autem post obitum ut videtur Cypriani, ipsis illis Episcopis, qvi rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, ad antiqvam consvetudinem reversis, notante Hieronymo *lib. adversus Luciferianos c. 8.* Nec ullus facilè seqventi deinceps tempore repertus fuit, qvi dogma istud resuscitare ausus fuisset, donec ineunte seculo IV. Donatus cum sociennis præter alios errores etiam Sacramentorum efficaciam ex ministri dignitate & bonitate judicaret, & propterea à minus digno aut hæretico baptizatos rebaptizari oportere contenderet. Fieri enim non posse, ut in falso baptismate inqvinatus abluat, immundus emundet, supplantator erigat, perditus liberet, reus veniam tribuat, damnatus absolvat, uti Donatistarum verbis loqvitur Optatus Milevit. *l. 1. p. 38.*

XLVIII. Historiæ de Donatistis summam ita complectitur Gabriel Albaspinæus *Obs. 1. in Optat. p. 2. Hujusce impietatis multi fabricatores extiterunt, sed Lucilla fœmina Hispana hunc motum prima excitavit, qvæ cum inimicum suum Cæcilianum in illâ sede ferre non posset, plurimos Episcopos cum*

Secundo Numidiæ primate pecuniâ corrupit, eisq; persvasit, ut deposito Cæciliano Majorinum Lectorem Domesticum suum Ecclesiæ Carthaginensi præficerent. Huic mox ambitiosi qvidam Botrus & Silesius, qvi eundem Episcopatum ambiebant, operam & studium præstiterunt: seniores deniq; nonnulli, qvi depositam Ecclesiæ supellectilem negabant, his se addiderunt, atq; plebis partem à Cæciliano subtractam & jam nutantem in idem schisma impulerunt. His initiis & autoribus Donatistarum dissensiones primum ortæ sunt. & c. Vid. qvæ habet ibi plura; & conf. Chemnit. *Loc. de Eccles. n. 5.*

XLIX. De errore ipsorum circa reiterationem baptismi ita porrò dictus Albaspinæus: *Qvartus eorum error & crimen erat, qvod baptizatos rursus abluerent, qvâ in re multa sunt observanda. Primum ex Donatistarum instituto aut ex eorum animi sententia rebaptisationes haud fiebant; nam mordicus tenebant cum orthodoxis, unum tantum esse baptisma, & Christianos uno tantum baptismate tingendos esse; verum cum Orthodoxos hæreseos & idololatriæ insimularent, qvod cum Cæciliano communicarent, baptisandi vim & potestatem eis nullam esse existimabant. Secundò, baptismi repetitio non erat proprium ac peculiare illius sectæ crimen, neq; à Donatistis inventum, sed ætate Divi Cypriani invectum, qvi eam de se per totam Africam opinionem & existimationem reliqverat, ut qvicqvid docuerat, pro regulâ fidei haberetur. Ob hanc causam Donatistæ ad documenta tanti Viri respicientes qvi docuerat, hæreticos rebaptisandos esse, Cæciliani sectatores, omnesq; qvi in Ecclesiâ tincti essent post Cæciliani ordinationem, rebaptisabant; non secus atq; Africæ magna pars, qvæ hæreticorum baptismum respuebat. Non enim divus Augustinus scribens contra Donatistas locis omnibus, & argumentis*

tis ex divo Cypriano, & ex Concilio ejus tempore celebrato desumptis, respondisset, nisi Donatistæ ex divi Cypriani potiùs qvam ex suâ sententiâ hunc errorem sustinuissent. &c. Atqve hunc errorem per totum librum V. diluit Optatus Afer, qvem imperantibus Valentiniano & Valente ipsis his textûs hujus autoribus istos adversus Parmenianum libros scripsisse autor est Hieronymus *in Catalog. Script. Ecclesf.* Conf. de hâc re uberius subtilissimus JCtus Fr. Balduin. *ann. in l. 1. Optati.*

L. Et hi sc. Donatistæ sunt, qvos sanctione hâc textû nostro comprehensâ coërcere voluerunt Imperatores. qvò faciunt etiam *l.* 4. & *l.* 5. *C. Theod. h. t. it. l.* 44. *C. Theod. de heret.* Sanè per annos propè centum tantas illi in Africâ excitarunt turbas, ut ubi tandem vera consisteret Ecclesia, cùm utraq; pars de Ecclesiæ titulo & possessione contenderet, simpliciores dubitare inciperent. Accedebat, qvod ab Juliano omnium Apostatarum & Ecclesiæ hostium Patrono foverentur, *l. 37. C. Th. de heret.* & sic in immensum qvotidiè excresceret ipsorum numerus. Cumq; tota Ecclesia Africana identidem optaret, ut ad eruendam veritatem & propulsandas atq; manifestandas hæreses partium conflictus haberetur, Donatistæ tamen & accessum prohibuerunt, & aditûs intercluserunt, & consessum vitarunt, & colloqvium denegarunt. Augustin. *Epist. 166. ad Donatistas. Vestri,* inqvit, *Episcopi conventi à nobis nunqvam nobiscum pacificè conferre voluerunt, qvasi fugientes cum peccatoribus loqvi.* Qvibus tamen Hipponenses Clerici ab Augustino excitati toto die reponebant, Christum ipsum etiam cum Diabolo de lege locutum esse, & cum Paulo non solùm Judæos, sed & Epicuræos contulisse &c. Vid. Francisci Balduin. *delibat. Historiæ African. p. m. 206. 208.*

LI. Sed & Eunomiani hæreticæ fatuitatis auctores *l. un. C. Th. de Jud. Samar.* ab Eunomio Cyzici Episcopo dicti, baptismum iterabant. Sozom. *l. 6. c. 26.* & fortè etiam hæretici alii, qvibus omnibus unà cum Eunomianis post tempora Valentinianorum Imperatorum ab Honorio & Theodosio circa annum Christi CDXV. fibula injecta per sanctionem, qvæ extat *l. 58. C. Theod. de haret.* Nec tamen Eunomiani perinde ut Donatistæ iisdem semper pœnis coërcebantur, sed illi laxiore interdum, interdum arctiore & severiore continebantur disciplinâ, prout vel alii vel iidem Imperatores aliis aliisq; temporibus benè illis vel malè cupiebant. Etsi enim pleriq; sectam ipsam abominarentur, nec cœtûs ab ipsis fieri facilè permitterent, prout expressè id prohibitum *l. 6. l. 8. l. 11. l. 12. l. 13. l. 31. l. 32. l. 34. l. 60. C. Th. de haret.* noluerunt tamen omnes aut omni tempore eos ab omni jure communi exclusos. Et qvod mireris, prohibuerant Valentinianus Theodosius & Arcadius Imppp. anno CCCXXCVIIII. omnem ipsis testamenti factionem sive activam sive passivam *l. 17. C. Theod. de haret.* sed elapso qvinqvennio, anno sc. CCCXCIV. revocatâ priore Constitutione permittunt *l. 23. eod.* Anno seqventi CCCXCV. idib. Martii iterum prohibent *l. 25. eod.* Kalendis Julii ejusdem anni denuò permittunt, *l. 27. eod.* certissimo argumento, plurimas ejusmodi constitutiones sub & obreptitiè impetratas fuisse. Constantiores autem fuerunt Honorius & Theodosius Impp. qvi *l. 49. l. 58. l. 59. l. 60. C. Th. eod.* omnem Testamenti factionem, donationem &c. simpliciter, non revocatis sententiis interdixerunt, & ex hoc res ipsorum haud leviter attriverunt.

LII. Nec aliter cum Donatistis actum; cùm enim tanta qvotidiè malum istud caperet incrementa, ad Majestatis curam spectare videbatur ut sanctionibus & edi-

ctis

ctis obviam illi iretur, & tùm Ecclesiæ tùm Reip. salus, qvantum fieri posset, conservaretur. Extant eâ de re *l. 4. l. 5. C. de haret. & Manich. l. 37. l. 38. l. 39. l. 40. l. 41. l. 43. l. 44. l. 46. l. 52. l. 54. l. 55. C. Theod. de haret.* Qvod controversiam de baptismo attinet, qvâ de nunc agimus, extant tres Constitutiones in Codice Justinianeo & septem in Theodosiano sub peculiari titulo : Ne sanctum baptisma iteretur, & aliæ in eod. C. Theodos. *l. 5. l. 58. de haret.* Qvibus omnibus id tandem effectum, ut cùm se minus tolerari viderent Donatistæ, nec impunè amplius docere ipsis licitum esset, ad collationem Carthaginiensem flecti se paterentur, qvâ ipsâ finis tandem factus turbarum tanto cum scandalo datarum.

LIII. Cognitâ occasione & causis qvibus inducti Imperatores legem hanc, in qvam commentamur, scribsêrunt, accuratius nunc examinandum est ipsum argumentum, qvod, qvia tota lex pœnalis est, commodissimè enucleabitur, si 1. delinqventes 2. ipsum delictum & 3. pœnam consideremus. His enim veluti partibus tota textus analysis absolvitur.

LIV. Delinqventes in textu nostro dicuntur Antistites, qvi rebaptizarunt. Antistites & Antistitæ antiqva sunt vocabula & Ciceroni etiam de sacerdotibus usurpata, *Orat. pro dom. suâ.* Conf. Agell. *l. 13. c. 19.* Liv. *l. 10. p. 355.* Marcell. Donat. *in Sveton. Cæs. c. 79.* generaliori tamen significatione de aliis qvoq;, qvi excellunt & reliqvos veluti superant, certæq; rei addicti sunt, promiscuè accepta. qvomodo Qvintilianus *l. 11.* Servium Sulpitium juris antistitem (aliàs juris Sacerdotem *l. 1. §. 1. ff. de J. & J.*) novissimè Joannes Yannez Parladorius *l. 1. rer. qvot. c. 1. pr. n. 7.* Didacum Covarruviam, Antistitem : Diocletianus Imp. Professores liberalium studiorum antistites *l. 1. C. de decret. decur.*

decem. lib. X. Plinius Platonem sapientiæ antistitem, Tertullianus *in apolog. c. 1.* Præsides & cæteros Magistratus rei Romanæ præpositos, Romani Imperii antistites. & *lib. de pall. p. 136.* latrinæ lavandæ ministerio damnatos, latrinarum antistites vocarunt.

LV. Assumpsit istud vocabulum & suâ qvoqve civitate donavit Ecclesia, voluitq; ut etiam apud se antistites dicerentur, qvi rerum sacrarum curam haberent, qviq; Ecclesiæ præessent, prout videre est ex *l. 6. l. 16. C. de SS. Eccles. l. 18. l. 22. l. 25. l. 20. l. 31. C. de Episcop. & Cler.* Antistes enim sacerdos dictus est ab eo, qvia antestat, *can. cleros dist. 21.* Hinc igitur pro Synonymis ferè habentur antistites & Sacerdotes *d. l. 18. & l. 31. C. de Episc. & cl.* qvi propterea reverendissimi vocantur *d. l. 18.* & religiosissimi *l. 25. C. de Episc. & Cl. §. 5. J. de Attil. Tut.* Et ex hoc Tertullianus eleganter pudicitiam vocat Templi Dei æditum & antistitam *in pr. l. 2. de cult. fœm.*

LVI. Sed numqvid soli Episcopi hic intelligentur per Antistites, an præter eos etiam Presbyteri, & alii, qvi circa ministerium verbi & Sacramentorum versantur? Sanè, qvid differant Episcopus & Presbyter, & qvo tempore in Ecclesiâ distingvi cœperint, controversia hodienum inter maximos Viros agitatur. Hoc certum est, in sacris literis vocabula ista esse ἰσοδυναμοῦντα & ejusdem notionis, qvod patet ex *act. 20, 17. junct. v. 28. ex ep. ad Tit. 1, 5. junct. v. 7. ex 1. Pet. 5, 1. 2.* Qvin & hoc certum est, talem distinctionem Episcoporum & Presbyterorum, qvalem nonnulli hodiè somniant, jure divino, seu ex speciali Christi vel Apostolorum institutione non esse profectam. Qvia verò usus postea invaluit, ut duæ illæ voces Episcopus & Presbyter non promiscuè qvemvis Ecclesiæ Doctorem significarent;

rent; sed illa adhiberetur ad denotandum eum, qvi inter Doctores unius particularis Ecclesiæ primus erat & præcipuæ autoritatis; hæc verò ad denotandos illos, qvi præter primum illum in eâdem Ecclesiâ docebant, qvemadmodum etiam à se invicem distingvuntur *l.33. l.34. l.50. C. de Episc. & Cler. l.5. C. Theod. de haret.* anne disqviritur, qvo primùm tempore illa distinctio nata fuerit. Et sanè multum negocii facessunt hâc in re Epistolæ Ignatii Martyris, qvem χάριν τῆς ἀρχιερωσύνης ab Apostolicâ Petri manu accepisse, multumq; cum Apostolis versatum scribunt Socrates & Theodoretus. In illis vero tàm accuratè semper à se invicem distingvuntur Episcopi & Presbyteri, nominatim *in epist. ad Smyrnæos p.m.6. & 9. in ep. ad Ephesios p. 18.19. in Epistolâ ad Magnesios p.31.33. in Epist. ad Philadelphicos p.39. in Epist. ad Trallesios p.47.48.* editionis Vossianæ, ut ab ipsis Apostolis discrimen id introductum, opinari qvis possit.

LVII. Posset verò ad istas autoritates omnes uno spiritu responderi; & dici, Epistolas Ignatii non esse genuinas, sed suppositicias & seqvioris Seculi partum, qvod jam diu existimarunt Chemnitius *in orat. de lect. Patrum* Histor. Magdeb. *cent. 2. c.10. p.295.* Calvin. *l.1. Inst. c.13. §.29.* & alii, nisi nuperè Jacobus Usserius Anno 1644. & Isaacus Vossius Anno 1646. ille ex Bibliothecâ Anglicanâ, hic ex Medicæâ genuinas se edere uterq; professus fuisset. Cùm verò id persuaderi non possent Claudius Salmasius & David Blondellus, & hic Florentinum imprimis Exemplar sollicitaret *Præfat. apol. de Episc. & Presb. p.40. seqq.* factum deinceps, ut defensores idem istud inveniret tum Henricum Hammondum Presbyterum Anglicanum, tùm ipsum qvoq; Usserium *in præfat. appendicis Ignat. anno 1647. editæ*

 post

post qvos num ulterius disceptatum de iis fuerit, compertum nobis non est.

LVIII. Sed nec nostrum est, lites istas componere, aut utriusq; partis rationes prolixius examinare, cum forsasse tota ista de Episcopis & Presbyteris controversia altiori tribunali sit committenda. Ne tamen de principali qvæstione dicamus omninò nihil, putamus totam rem expediri posse solo statu controversiæ rectè formato. Primùm autem planè non facimus cum Aetio seculi IV. Hæretico, qvi omnes dignitatum gradus inter Ecclesiæ ministros sustulit, qvod etiam Theodorus Beza peculiari scripto contra Hadrianum Saraviam tentasse fertur: sed imò consultum Ecclesiæ arbitramur, ut aliqvis inter ministros Ecclesiæ sive πρεσβυγενείας jure, sive ex singulari suo merito πρωτοστασίαν & πρωτοκλισίαν habeat, consulendo, monendo, hortando aliis præeat, suffragia in causis dubiis colligat, autoritate suâ universam actionem moderetur, & id qvod decernitur, piè & prudenter exseqvatur. Deinde verò non negamus, Episcopos superiores esse Presbyteris, nec illis jus hoc præcedentiæ invidemus, sed hoc negamus, competere istam superioritatem Episcopis jure divino; qvin totum id, qvantumcunq; est, referimus ad jus humanũ sive Ecclesiasticum. Tertiò distingvimus essentialia ministerii ab accidentalibus. Ad essentialia referimus, docere verbum, administrare Sacramenta, ligare & absolvere &c. & in his Episcopum nihil præcipuum habere dicimus; in accidentalibus verò, qvalia sunt disponere res Ecclesiasticas, regere alios pastores, curam & inspectionem aliarum Ecclesiarum habere &c. inæqvalitatem qvandam concedimus, & Episcopos suis Presbyteris superiores dicimus. Tandem demus,

jam inde ab *Apostolorum* temporibus observatum fuisse istum Episcoporum & Presbyterorum ordinem, num idcirco jure divino istum institutum credamus? Ἄπαγε, cum possit ab *Apostolorum* tempore aliqvid receptum esse, qvod tamen solâ Ecclesiasticâ consvetudine nitatur, nec aliud habeat principium. Ut summatim dicam: Ἐπισκοπὴ qvatenus πρεσβύτερον ipsum ex primitivo Scripturæ usu denotat, divino: qvatenus presbyterio præcellit, Ecclesiastico: qvatenus dominatum ac regium nescio qvod ἀξίωμα qvibusdam sonare videtur, nullo prorsus jure fulta est. Videantur de totâ controversiâ præter supra citatos Dn. D. Hülseman *in man. A. C. disp. 12. th. 9. seq.* Walo Messalinus, qvem Salmasium dicunt, *de Episc. & presb. diss. 1. c. 1.* Marc. A. de Dominis *de Rep. Eccles. p. 1. l. 2. c. 3. §. 12. seqq.* Hug. Grot. *de summ. potest. circa sac. c. 11.* Chamier *l. 4. Panstr. Cath. c. 8.* Nic. Vedel. *in Ignat. exerc. 3. p. 24. & 138.* Joh. Davenant. *determ. q. 42. p. 187.* Desider. Herald. *in Tertull. apolog. p. 155.* Petr. Svavis *in hist. Concil. Trid. p. 662. 664. 669. 671. 677. seqq. 701. 711. 714. 809. 818. 822. 824.* Joh. Selden. *in præfat. ad Eutychii Orig. Eccles. Alexandr.* Claud. Espencæus. *digress. l. 1. c. 1.*

LIX. Hinc igitur, cum tantùm non à primis Ecclesiæ incunabulis distincti Episcoporum & Presbyterorum fuerint gradus, ut ad propositum redeamus, non inepte qværitur, qvinam ex his per *Antistites* intelligendi sint, qvos in textu nostro puniendos ob iteratum baptisma sanxerunt Imperatores; Et sane diffiteri non possum, ut plurimum per *Antistites* in Codice Justinianeo intelligi Episcopos, ut patet ex *l. 16. C. de SS. Eccles. l. 18. l. 22. l. 26. l. 28. l. 31. C. de Episc. & Cler. l. 8. l. 13. C. de Ep. aud.* qvin & Patriarchas interdum *l. 6. C. de SS. Eccles. l. 18. l. 25. C. de Episc. & Cler. l. 29. C. de Ep. aud.* In Codice Theodosiano Chronopius vocatur Exan-

tenuit *l. 49. C. Th. qvor. app. non recip.* qvod sc. munere Episcopi amplius non fungeretur. Sic enim invenimus vocabula Exqvæstore, Exconsule, ExRex, Exarchiater &c. Non dubito tamen vocabulum *Antistitis* generale esse & tàm Episcopis, qvam presbyteris indiscriminatim competere, qvemadmodum indiscriminatim qvoq; usurpati fuerunt tituli ποιμένων, ἱερέων, προεχόντων τῆς Ἐκκλησίας προηγουμένων, προεστώτων, προστατῶν, ἀρχόντων, νυμφίων, νυμφαγωγῶν, προμνηστόρων, κεφαλῶν, Pastorum, Sacerdotum, Præpositorum, Doctorum, Rectorum &c.

LX. Hâc igitur ratione vocabulum *Antistitis* de qvolibet ministro Religionis dicitur, *l. 36. & l. 54. C. Th. de heret.* Et non Episcopis tantùm sed Diaconis etiam tribui in *l. 1. & 2. C. de his qvi in Eccles. manumitt.* apparet ex collatione veteris formulæ à Bignonio editæ: QVOD SECUNDUM LEGEM ROMANAM ACTUM EST, NULLATENUS REVOCETUR. ITAQ; SUB DIE ILLO, ANNO ILLO REGNI DOMINI NOSTRI ILLIUS REGIS, INDICTIONE ILLA, ILLE VIR VENERABILIS, ILLE DIACONUS TESTATUR EIS, QVI TABULIS SUBSCRIPTIS MANUMITTERE IN ECCLESIA ILLA, VINDICTAQ; LIBERARE FAMULUM SUUM SIBI BENE MERITUM CUPIUNT, &c. *Antistites* scripturam de manumissione, vice testium signare voluit Constantinus, & Diaconum testari dicit Formula. Diaconus ergo *Antistes* erit & *Antistitis* nomine comprehenditur. Et qvomodo non antistes dicatur, qvem antistare cæteris devotione & dignitate dixit Salvianus *l. 2. contr. avar. p. 68.* Nec aliter vocabulum istud usurpavit Tertullianus *lib. de coronâ, p. m. 121. Deniq; ut à baptismate ingrediar, aqvam adituri ibidem, sed & aliqvando prius in Ec-*

cle-

clesiâ sub Antistitis manu contestamur, nos renunciare diabolo & pompæ & angelis ejus. de hinc ter mergitamur, &c. Antistitem dicit Tertullianus in eâdem materiâ, qvâ de agit textus noster, illum qvi baptizat. Baptizat autem non tantum Episcopus, verum etiam Presbyter & Diaconus Vid. omninò M. *Ant.* de Dominis *de Rep. Eccl. l. 5. c. 4, n. 49. seqq.* Est enim baptizare & sacram cœnam administrare commune nunc officium omnium Pastorum Ecclesiæ, dum tamen ordo observetur eorundem & dignitas, de qvâ re loqvi videtur *Can. 14.* & juxta Exemplaria Græca, 18. concilii Niceni. Optimè in eandem rem Tertullianus *de baptism. c. 17. Dandi* (baptismum) *jus habet summus Sacerdos, qvi est Episcopus, de hinc presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi autoritate propter Ecclesiæ honorem. Qvo salvo salva pax est.* Et Hieronymus *Dialogo adversus Luciferianos: Sine chrismate & Episcopi jussione neq; Presbyter neq; diaconus jus habens baptizandi.* Et Ambrosius, si modò is est, de qvo aliàs dubitamus, *l. 5. de sacram. c. 1. Adscendisti de fonte. Qvid secutum est? Audisti lectionem. Succinctus est sacerdos. Licet enim & presbyteri fecerint, tamen exordium ministerii à summo est sacerdote hoc est Episcopo &c.* & huc refero *c. 18. de consecrat. dist. 4.* Concludo igitur *Antistitis* nomine comprehendi hic omnes Ecclesiæ ministros, sive Episcopi fuerint illi, sive Presbyteri, sive Diaconi, id qvod uberius exponere hic nec lubet nec licet. Videantur de officiis istis Ecclesiasticis Canonistæ, & ex Theologis Claudius Espencæus *digressionum toto libro primo*, ante eum verò, & ut adversus papismos, qvos habet, muniaris, B. Chemnitius *in exam. concil. Trid. part. 2. tit. de Sacram. Ordinis.*

LXI. *Anteqvam* hinc abeamus, operæ pretium facturos nos arbitramur, si de Politiâ Ecclesiasticâ & Hie-

rarchiâ istarum Provinciarum, qvibus Constitutiones istas promulgatas diximus, breviter aliqva inseramus. Notandum igitur, totum Orientis imperium divisum fuisse in qvinq; dioeceses (aliàs climata, aliqvot provincias, qvæ Græcis ἐπαρχίαι dictæ fuerunt, complectentia) Asianam sc. Ponticam, Thracicam, Orientis & Ægypti. Singulis suus erat Patriarcha, sui Metropolitani, sui Episcopi & Presbyteri. Primus Presbyter dicebatur Episcopus; Primus Episcopus, Metropolita; primus Metropolita, Patriarcha. Ut primatum Episcopus inter presbyteros tenebat; sic inter Episcopos Metropolitanus, inter Metropolitanos, Patriarcha. Asianæ Dioeceseos Patriarcha erat Episcopus Ephesinus; Ponticæ Episcopus Cæsariensis: Thracicæ, Heracleota: Orientis, Episcopus Antiochenus: Ægypti, Alexandrinus. Nec tamen hi omnes ejusdem semper fuerunt dignitatis aut potestatis. Priores enim tres, Asianæ sc. Ponticæ, & Thracicæ Dioeceseón Præsules dicti qvidem olim Patriarchæ, fueruntq; αὐτοκέφαλοι tùm suæ qvisqve dioeceseos primates; alia tamen δίκαια πατριαρχικὰ non habuerunt, nisi qvod ab Episcopis comprovincialibus ordinarentur, nulliq; Patriarchæ subjecti essent; in reliqvos verò metropolitas nihil qvicqvam potuerunt, qvippe qui & proprios Episcopos suo jure ordinarunt, & à Synodo provinciæ suæ ordinati fuerunt ipsi. Postqvam verò Constantinopolitani Episcopi eam sibi potestatem sumpsissent, ut metropolitanos istarum trium provinciarum jure qvodam, qvod à Synodo Constantinopolitana prima sibi concessum, contra historiæ & rei veritatem prætendebant, ordinarent, factum est, ut in Synodo Chalcedonensi, ubi ea res agitabatur, tres illi primates Sedi Constantinopolitanæ omninò subjicerentur, suis illis, qvæ modò recensui privilegiis

legiis spoliarentur, & in metropolitanorum ordinem, cum antea in Patriarcharum gradu essent, nullo suo merito redigerentur. Sed retinuerunt tamen etiam post illud tempus ornamenta patriarchalia; videlicet πολυώνυμοι dicebanturq; πρωτόθρονοι, & Exarchi Diœceseon, non qvod totā regerent diœcesin, aut totius diœceseos, cujus Exarchi vocabantur, metropolitas sub se haberent, sed qvod πρεσβεῖα τῆς τιμῆς & prærogativam honoris obtinerent, ut primi scil. præcipuiq; essent totius Diœceseos Metropolitæ, qvippe qvi eam dignitatem ideò tuebantur, qvod primarias totius Diœceseos provincias regerent. Et tamen nec eo qvidem tempore, qvo Patriarchæ adhuc dicebantur, multum à Metropolitis suæ diœceseos reliqvis differebant.

LXII. Plura verò & potiora δίκαια πατριαρχικὰ obtinuit Episcopus Alexandrinus. Hic enim totius Ægyptiacæ Diœceseos, non unius tantùm in Diœcesi provinciæ metropolita revera fuit & idem Patriarcha. Omnes igitur totius diœceseos Episcopos & Metropolitanos ordinavit, non ideò, qvod Patriarcha esset, sed qvod metropolitanus diœceseos. Et hanc potestatem habuit jam ante Concilium Nicenum, confirmatam deinceps per canonem VI. ejusdem Concilii, singularem in eo, qvod per integram diœcesin, qvam Ægyptus, Libya, & Pentapolis constituebant, non metropolitanos tantùm, sed uti dixi, reliqvos etiam Episcopos inferiores omnes ordinaret. De Episcopis dubium nullum est; de metropolitanis verò illud probè notandum, ab initio tales in Diœcesi Ægyptiacâ non extitisse. & ergò hinc constat, Alexandrinum Episcopum evasisse Patriarcham longè alio & diverso modo ab eo, qvò Constantinopolitanus & reliqvi. Hi enim supra Metropolitanos jam ante existentes evecti, peculiari patriarcha-

rum

rum nomine ab ipsis distingvi cœperunt. at ille Patriarcha dictus fuit etiam tùm, cùm Metropolitanos infra se nondùm haberet, super qvos evehi potuisset, & cùm ipse totius diœceseos solus adhuc & unicus Metropolitanus existeret. Posterioribus tamen temporibus ipse qvoq; qvibusdam majorum in sua diœcesi oppidorum Episcopis talem dignitatem concessit, qvalem ferè habuerunt aliarum diœceseon Metropolitani, ut ita Alexandrini qvoq; Episcopi potestas tandem supra Metropolitanos qvosdam eveheretur.

LXIII. Superest Antiochenus, qvi tempore Concilii Niceni unicam tantum provinciam Cœlen Syriam gubernavit; sed post ex decreto Synodi Oecumenicæ qvartæ, qvæ Chalcedonensis est, tres adhuc alias accepit, duas nimirum Phœnicias & Arabiam. ex qvo Metropolitani istarum provinciarum, qvi antea ab omnibus suarum ἐπαρχιῶν Episcopis ordinabantur, deinceps sine Antiocheni Episcopi consensu ordinari amplius non potuerunt.

LXIV. Ex his igitur constat, inter Patriarchas in Imperio Orientali alios solum honoris primatum & titulum Patriarchæ in diœcesi habuisse, ut Asianæ, Ponticæ & Thracicæ diœceseon primates. aliis insuper etiam χειροτονίαν metropolitanorum competiisse, ut Patriarchæ Constantinopolitano; alios non solum metropolitarum, sed etiam Episcoporum simplicium per universas sibi subjectas provincias ordinationem habuisse, ut Alexandrinum & Antiochenum. Pari modo etiam illud constat, nec metropolitanos qvidem, æqvalia habuisse ἀξιώματα. Alii enim nullius Patriarchæ prævio consensu cùm ordinati fuerunt ipsi à comprovincialibus, tùm Episcopos suffraganeos ordinarunt; qvales fuerunt metropolitani Asianæ, Ponticæ &

Thra-

Thraciæ diœceſeon, anteqvam primates earum Epiſcopo Conſtantinopolitano ſubjicerentur, qvin & magnâ ex parte Orientis metropolitani alii. Alii liberam qvidem & independentem Epiſcoporum ordinationem habuerunt, ipſi tamen à Patriarchâ, qvi toti diœceſi præerat, ordinati fuerunt: Et hûc refero Aſianæ diœceſeos, Ponticæ & Thraciæ metropolitanos omnes, cum ipſis diœceſeon iſtarum exarchis, poſtqvam regiæ Urbi ſubjecti fuerunt. Alii nec ipſi ordinari, nec ſuorum Epiſcoporum ordinationem facere, nec qvicqvam omninò gerere ſine conſenſu & autoritate patriarchæ diœceſeos potuerunt, qvales fuerũt ſub Patriarchis Alexandrino & Antiocheno, Ægyptiacæ & orientalis diœceſeon metropolitani.

LXV. De Eccleſiâ Africanâ hoc obſervamus, habuiſſe Africanam diœceſin, uti ſupra diximus, ſex provincias & inter eas primam, Africam ipſam. In hujus metropoli Carthagine Epiſcopum totius Africanæ diœceſeos primum & maximum fuiſſe metropolitanum, nihil tamen in reliqvos metropolitanos habuiſſe juris. Sed enim, qvanqvam ejuſmodi πρεσβεῖα τιμῆς haberet, non invenio tamen aut illi, aut alii ejusdem dignitatis metropolitano, Patriarchæ nomen facilè tributum fuiſſe, certè non tam uſitatè, qvàm Antiocheno, Alexandrino, aliis. De eo verò diſſentiunt viri docti, utrum primates provinciarum in Africâ coincidant cum metropolitanis in aliis provinciis, & qvemadmodum hi certarum Urbium, qvas metropoles dixere, Epiſcopi fuerunt, ita & illi; an verò in Africâ πρεσβυγενείας jus obtinuerit, ita ut primas diceretur, qvi comprovincialibus cæteris anteiret. Qvicqvid hujus ſit, illud certum eſt, non ſolum ArchiEpiſcopum Carthaginienſem, ſed omnes Africæ metropolitanos dictos fuiſſe primates,

mates, ſecus atqve in regionibus Gallicanis, qvibus illi tantùm primates dicti, qvi primas ſedes in unâqvâqꝫ diœceſi tenerent. Maluerunt autem Africani ſuos Metropolitanos dicere Primates, qvàm vel Principes Sacerdotum, vel Archi Epiſcopos; hoc enim cum priori coincidere, illud autem ancipitem habere ſignificatum & tam ἄρχοντας denotare, qvam τῶν πρώτων.

LXVI. Sed iſta ὡς ἐν παρόδῳ & per digresſionem breviter expoſuiſſe ſufficiat. Prolixius id negocium expediunt Autor Euchariſtici *Jacobo Sirmondo de region. & Ecclesſ. ſuburbicar. miſſi*, passim. Joh. Selden. *in Eutychii orig. Alexandr. p. 4. 5. 6. ſeq. 65.* Matth. Steph. *de jurisd. l. 3. p. 1. c. 6. ſeq.* & alii. Redimus in viam viſuri nunc ipſum delictum, in qvod tàm ſeverè animadvertunt Imperatores. Illud eſt iteratio baptiſmi. Neqve id leve qvidem aut exiguum, ſed tale, qvod ipſam pietatem & Chriſtianæ Religionis fundamentum deſtruit, & hominis de ſuâ cum Chriſto unione certitudinem miſerè affligit. Unde anabaptiſmus ab Imperatoribus vocatur devius error. *l. 3. C. Th. ne ſacr. bapt. it.* ferale ſacrilegium *l. 5. eod.* ſcelus, crimen, facinus, pravæ mentis error, *ibid.* piaculare crimen *l. 6. eod.* immanis furor, *l. 7. eod.*

LXVII. Eſt enimverò baptiſmus medium, per qvod ipſi SS. Trinitati conſecramur & fœderamur, per qvod anima reformata detracto corruptionis priſtinæ aulæo totam lucem ſuam conſpicit, Tertull. *de anim. c. 41.* per qvod Cœli nobis aperiuntur, & DEUS nos ad ſupernam vocat patriam. Chryſoſt. *in Matth. Homil. XIII.* Unde non ſolum in ſacris ſublimia habet nomina ὕδατος καθαροῦ *Hebr. X, 23.* λουτροῦ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι *Eph. V, 26.* λουτροῦ παλιγγενεσίας, καὶ ἀνακαινώσεως *Tit. III. 5.* ἐπερωτήματος συνειδήσεως ἀγαθῆς εἰς

θεὸν 1. *Petr. III, 21.* (nempe propter finem baptismi, ut Salvatorem nostrum ex πληροφορίᾳ qvadam interrogemus: Domine Jesu, nonne pro me passus es? nonne pro me mortuus? nonne pro me resurrexisti? Stipulatio enim hic notat actum fiduciæ, qvid sibi baptisatus stipuletur, & promittat, seu tanquam promissum acceptet à DEO. Vid. Lorin. *ad. h. l.*) ἀπεκδύσεως τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκὸς, *Coloss. II. 11.* τὴν βουλὴν τοῦ θεοῦ *Luc. VII, 30.* Sed & apud Ecclesiasticos Scriptores elegantia inveniuntur Encomia, qvibus lavacrum hoc insignitur. Dionysius appellat ἀναγέννησιν, θεογενεσίαν. Clemens Alexandrinus χάρισμα, λουτρὸν, φώτισμα, τέλειον ἀπροσδεές. Epiphanius μεγάλην περιτομὴν, μυστήριον σφραγῖδα, χρῖσμα, κλεῖδα τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, ὄχημα πρὸς τὸν θεόν. Justinus Martyr, φωτισμόν. Augustinus januam Ecclesiæ, portam gratiæ. Optatus Milevitanus, vitam virtutum, criminum mortem, nativitatem immortalem, cœlestis regni comparationem, innocentiæ portum, peccatorum naufragium. Ejusmodi plura leguntur apud Gregorium Nazianzenum, Gregorium Nyssenum, Cyrillum Hierosolymitanum, Basilium M. & alios.

LXVIII. Est enim Baptismus efficax instrumentum divinum à Spiritu S. ordinatum ad conferendam regenerationem, renovationem, & vires arbitrii in lapsu deperditas, necessarias ad supernaturales actus regni gratiæ, ad obsignandam remissionem peccatorum, ad fœdus divinum communicandum, ad dandam inhabitationem divinam gratiosam; ad salutis æternæ certitudinem faciendam. Non igitur est causa tantùm vel conditio sine qva non, ad gratiam obtinendam, uti volunt Durandus, Occamus, Petrus de Aliaco, Richardus &c. *in 4. dist. 1.* Non est tantùm veluti liber aut baculus, qvibus ad dignitatem Canonici

aut Abbatis qvis investitur, qvalem sententiam recenset Thomas *part. 3. q. 62. a. 1.* Non habet se veluti authenticum qvoddam instrumentum, ex qvo debita petimus uti putat Franciscus Svarez, *in part. 3. Thom. disp. 9. sect. 2.* Non uti denarius aliqvis plumbeus, seu moneta plumbea, qvâ repræsentata certa aliqva Pecuniæ summa suo tempore exhibeatur, qvomodo Marsilium, Durandum, Gabrielem, Occamum, Petrum de Aliaco comparationem instituisse scribit Tannerus *t. 4. tb. sch. p. 781.* non ut signum aliqvod à Rege datum pauperi, qvô hic ab Oeconomo designatam conseqvatur Eleemosynam, ut aliis eum describere placuit; sed est organum, instrumentum, signum non tantum significans, verum etiam προσφερόμενον, exhibens, offerens & obsignans, *act. II. 38. c. XXII, 16. Eph. V. 26. Colosf. II. 11. Tit. III. 5. 1. Petr. III. 21.* non qvidem ex se aut per magicam qvandam vim & occultam qvalitatem, sed ex institutione divinâ, ita ut interveniente tali organo Spiritus S. internum reparationis ac renovationis opus in baptizatis efficaciter agat & consummet.

LXIX. Sic igitur baptismus ad fundamentum salutis pertinet, & per conseqvens ad salutem æternam ceu medium ordinarium summè est necessarius, nec omitti aut insuper haberi debet ab ullo, qvi copiam ejus habere potest. Qvin pertinet hoc salutis medium ex institutione divinâ non ad adultos tantùm sed infantes etiam, & in genere ad omnes, qvi Ecclesiæ Christianæ membra esse aut dici volunt. Unde porrò elicitur, qvi baptismum vel ratione substantiæ vel ratione efficaciæ aliter proponit, exhibet, & constituit, qvàm in verbo DEi propositus & constitutus est, illum in ipsum doctrinæ Christianæ fundamentum graviter impingere, conseqventer hæreticum qvid docere, & si

omen-

emendari aut aliter informatus sententiam mutare nolit, hæreticum qvoq; & esse & dici.

LXX. Jam verò constitutum est à DEO, ut virtus efficacia & operatio purgationis & sanctificationis baptismi per totam Christiani hominis vitam duret, & valeat, qvotiescunq; in verâ fide ad DEum facta fuerit conversio. Baptismus enim est qvasi initium vitæ spiritualis, & tale medium, qvo spiritualiter vivere incipientes Christo ejusqve Ecclesiæ inserimur. Qvemadmodum igitur carnali modo semel nascimur: ita ex aqvâ & spiritu semel qvoqve renascimur. & proinde in modum semel nati hominis semel qvoq; à DEo conceditur baptisma *l. 58. C. Theod. de haeret.* Etsi autem homo à pacto, qvod in baptismo iniit, & stipulatione bonæ conscientiæ apud DEum qvàm creberrimè recedat, propterea tamen, ut baptismus iteretur, si in gratiam divini fœderis recipi velit, opus non est. Fœdus namqve hoc, qvando violatur & frangitur, non frangitur ex parte DEI, sed hominis. Baptismum igitur, qvem fœderi suo DEus addidit, & qvo gratiam suam contulit simul atq; obsignavit, non vult repeti ab homine, ut in gratiã recipiatur, sed id duntaxat reqvirit, ut homo per pœnitentiam ad se revertatur, & sic jure ac fructu baptismi, qvo per peccata exciderat, vitæ novitati jam studens denuò fruatur. Benè in hanc rem Chemnitius *part. 2. Exam. Concil. Trid. p. m. 241. Docemus, inqvit, si illi, qvi conversi fuerant, admittant actiones contra conscientiam, ipsos unà cum fide à se excutere gratiam & Spiritum S. Sed non ideò ipsa virtus & efficacia baptismi evertitur. Sicut enim aliqvis potest navi excidere ipsâ manente incolumi: ita ex arcâ baptismi multi temerè in mare perditionis prosiliunt & pereunt: & hi sunt, qvi deserta promissionis fide in peccatum sese præcipitant, navis verò ipsa permanet*

manet integra, Et si per gratiam DEi is, qvi exciderat, ad navim reverti potest, non aliqva alia nova tabula, sed solida ipsa nave unde exciderat, feretur ad portum salutis. Num verò iterum baptizandus est, qvi lapsus fuerat, ut ita ad arcam baptismi revertatur! Non hoc dicimus, sed lapsus doctrina legis invitatur & ducitur ad pœnitentiam, proponitur ipsi doctrina Evangelii de gratiâ Dei in Christo: & credenti ministerio clavium peccata solvuntur seu remittuntur per nomen Christi: Invitatur ad cœnã dominicã, ubi accipit novum testamentum in sangvine Christi. Hæc verò non est diversa alia & nova tabula post fractã & dissolutam arcam baptismi; sed eadem est promissio, idem meritum Christi, eadem gratia DEi, eadem fides. Et baptismus est perpetuum testimonium & sigillum, nos ad illa beneficia habere aditum & reditum, per fidem, post qvemcunq; lapsum, non septies, sed septuagies septies. &c. Hactenus Chemnitius.

LXXI. Qvisqvis igitur baptizantium aut baptizatorum ablutionem istam iterat, aut in se iterari patitur, ipsum totum Christianæ fidei principium & fundamentum concutit, dignus, qvi ab Ecclesiâ, aut etiam pro re natâ à Magistratu politico coërceatur, ne sc. latius serpat istud malum, & sanctissima Sacramenta tali profanatione contemptibilia fiant. Sed qvid si ab hæretico fuerit collatus baptismus, an nec tùm qvidem iterari debere eundem, an diversum qvid statuamus? Et non debere iterari expresse edicit textus noster, additâ pœnâ, si qvis contrarium ausus fuerit. Sanè Donatistæ, Eunomiani & si qvi fuerunt alii istius seculi sectarii ad se undecunqve venientes licet baptizatos rebaptizabant, non qvod anabaptismum adstruerent, sed qvod minus rectè, imò prorsus non baptizatos verè se baptizare putarent. nec enim persvaderi poterant, inqvinatum abluere, immundum emundare, supplantatorem erigere,

per

perditum liberare, reum veniam tribuere, damnatum absolvere, breviter, hæreticum baptizare posse. Et hæc præcipua est ratio dubitandi, qvæ textum nostrum sollicitat, qvæqve de iniqvitate aliqvâ eum suspectum reddit. Neqve verò ea de nihilo est. Præter Cyprianum enim & LXXX. cum eo congregatos Episcopos, de qvibus supra, etiam Canones Apostolorum baptismum hæreticorum lavacrum Diaboli appellant, uti habetur *can. præter, dist. XXXII.* Et hoc sc. præcipuum erat assertum Donatistarum, sacramenta qvæ traderentur à ministris peccato pollutis aut hæresi infectis non esse efficacia, qvorum argumenta eruditè congessit & enucleavit Chemnitius *part. 3. LL. p. m. 149.* neqve dubito ex iisdem fundamentis infantes Reformatorum superiori seculo à Pontificiis fuisse rebaptizatos, qvod narrat Thuanus, *lib. XXX. ad ann. 1562.* & Pet. Svav. *hist. concil. Trid. p. 717.*

LXXII. His tamen neqvicqvam obstantibus baptismi geminatio disertè in nostro textu prohibetur, & additur ratio, qvia rebaptizantes Christiani nominis Sacramenta sortitos alio rursus baptismate non purificant, sed incestant lavacri nomine polluentes, sive uti dicitur *in l. 5. C. Th. de hæret.* qvia redemta venerabili lavacro corpora reparata morte tabificant, id auferendo, qvod geminant. Gemina his sunt verba *in l. 4. C. Th. ne sanct. baptism. iter.* ubi dicitur, qvod rebaptizantes mysteriis recalcatis homines munere divinitatis ablutos contagione profanæ repetitionis inficiant, & iterati baptismatis polluant sacrilegio, *& in l. 5. eod.* qvod divinam gratiam sub repetito baptismate polluant. Ubiq; dicitur, anabaptismum incestare, polluere, tabificare inficere baptizatos. Sed qvomodo istud? Cùm aliàs lotio aut ablutio sæpiùs iterata nunqvã inqvinet,

sed

ſed magis magisq; purificet? Reſpondeo, id fieri propter cœnum profanatarum religionum, hæreticorumq; ſordes *l.6.C.Th. h.t.* qvæ lavacrum iſtud turpiter & nefariè corrumpunt. Cœnum iſtud & ſordes, utut ſubſtantialia baptiſmi integra & incorrupta retineantur, ex nudâ iteratione & geminatione oriuntur. In hoc enim præter cætera differt lavacrum iſtud ab reliqvis qvibusq; lotionibus, qvod repetendo inqvinet, & iterando polluat.

LXXIII. Sed qvid eſt, qvod dicunt Impp. tales rebaptizantes calcare præcepta Apoſtolorum? ſiqvidem iteratio baptiſmi expreſſo aliqvo Apoſtolorum præcepto prohibita non invenitur, qvanqvam iterari eum non debere ex Scripturis optimis rationibus evinci poſſit. Vid. B. Gerhard. *Loc. de bapt. n. 249.* Poſſet videri, uti & nobis ab initio viſum fuit, ad canones Apoſtolorum aliqvem ab Impp. haberi reſpectum. Ita enim inter illos legitur *can. 47.* ex verſione Dionyſii Exigui: *Epiſcopus aut Presbyter, ſi eum, qvi ſecundum veritatem habuerit baptisma, denuò baptizaverit, aut pollutum ab impiis non baptizaverit, deponatur, tanqvam deridens crucem & mortem Dn. nec ſacerdotes à falſis Sacerdotibus jure diſcernens.* Qvanqvam verò Canones iſti dubiæ admodum ſint fidei, & pro ſuppoſititiis atq; seqvioris ſeculi ſcripto rectè habeantur, B. Gerhard. *l. 1. Conf. Cath. p. 2. c. 6.* Magdeburg. *cent. 1, l. 7.* Dn. Danhauer *Chriſt. p. 889.* Schultetus *in medull. patr. p. 370.* Rivet. *in Crit. ſacr. p. 99.* Gabr. Albaſpinæus *l. 1. Obſ. 13.* Jac. Uſſerius *not. ad. Ignat. c. 6.* ſeculo tamen tertio jam extitiſſe plurimi haud fruſtra opinantur. Sed enim non neceſſe eſt, ut Imperatores ad Canones iſtos ſuo forte ſeculo non ita vulgatos provocaſſe putemus. Ipſa eorum verba, qvæ prolixiora habentur in Codice Theodoſiano *l. 2. h. t.* oſtendunt, qvalia præcepta

intelligant. Ita enim ibi pergunt: *Catholica qvippe eorum institutiones seqvendæ sunt, qvi Apostolicam fidem, sine intermutatione baptismatis probaverunt. nihil enim aliud præcipi volumus, qvam qvæ Evangeliorum & Apostolorum fides & traditio incorrupta servavit.* Institutionem hic vocant & traditionem, qvod antea dixere præceptum. Nempe hoc volunt, qvia institutione suâ præiverunt Apostoli, & sine mutatione aut iteratione baptismatis fidem probaverunt, ipsoqve hoc facto suo tradiderunt baptismum semel collatum non esse iterandum, meritò id præcepti vicem explere debet, ut adeò qvi contra institutum Apostolorum baptismum geminaverit, præceptum eorum calcare dicatur.

LXXIV. Pro explicatione autem decisionis hujus notandum, omnem baptismum, qvi secundum Christi institutionem ritè & qvoad essentialia integer administratur, validum esse, nec qvicqvam valori detrahere ministri vel improbitatem vel hæresin. Sacramentorum enim vis, virtus & efficacia non pendet à qvalitate ministri, sed ab instituente ejusq; promissione, veritate, & potentiâ. Nec refert, utrum per canalem lapideum aut argenteum aqva transeat ad areolas irrogandas, uti alicubi loqvitur Augustinus. Vitia enim personalia ministri non corrumpunt aut destruunt ministerium, in qvo divina institutio observatur, Et igitur si qvid minister peccat, non contaminari illicò dixerim ministerium. Ministerium ordo divinus est, per qvod DEUS efficit, nisi ex parte subjecti recipientis obex ponatur, qvicqvid efficere promisit. Minister verò morum pravitate ita nonnunqvam est contaminatus, ut in extremâ civitatis fece pejor haberi neqveat,

& tamen ubicunq; & qvotiescunq; ille ministerium sustinet, atqve secundum officii sui præscriptum agit, in virtute hujus sui ministerii efficit, qvod DEi propositum & institutio ordinavit. *Intra sanctam Ecclesiam*, inqvit Augustinus, *nihil à bono majus, nihil à malo minus perficitur Sacerdote: qvia non in merito consecrantis, sed in Verbo efficitur Creatoris, & in virtute Spiritus Sancti.* prout citatur *can. Utrum, de consecrat. dist. 2.* add. *c. Romanus c. si inter. bonos ministros, cum duob. seqq. c. hi de qvibus, cum qvinq. seqq. c. satis, c. non est, c. rebaptizare, c. eos qvos Episcopos. de consecr. dist. 4.*

LXXV. Hoc igitur illis, qvi ab Heterodoxis baptizati sunt, solatio est, qvod hæretici non suum, vel à sese excogitatum, sed DEi, atq; ab ipso Christo institutum baptismum administrent, qvodq; eum legitimum qvidem in suo cœtu habeant, sed non legitimè, qvippe injusti ejus usurpatores & possessores. Itaq; licet ipsi veraces non sint, id tamen qvod dant, verum est, cum non dent suum sed DEI. atq; ideò, per qvemcunqve & ubicunqve datus baptismus, non alius esse potest idem ille baptismus, nisi ejus de qvo dictum est, hic est, qvi baptizat. Agnoscit enim Ecclesia in hoc baptismo, qvod suum est, h. e. ipsum Sacramentum à Salvatore institutum, sed qvod alienum est, videlicet fidei corruptelam, rejicit.

LXXVI. Ne tamen ea, qvæ hactenus diximus, nimium extendantur, intelligi hîc nolumus illos hæreticos, qvi in substantialia baptismatis impingunt, & sive materiam ejus, sive formam nefario ausu corrumpunt. Tales enim qvia verum baptismum non habent, neqve aliis eum conferre possunt, & idcircò ab illis baptizati

non

non tàm rebaptizantur, qvàm rectè baptizantur. Extat *c. de Arianis, de consecrat. dist. 4.* Canon Concilii Arelatensis I. qvo constitutum, ut si compertum fuerit, aliqvem ab Arianis in nomine Patris, Filii, & Spiritûs S. baptizatum esse, aliter non baptizetur; si verò interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur. Sanè prudentiâ & magnâ circumspectione in Ecclesiâ veteri opus fuisse, ut de hæreticis & eorum baptismo exactum ferri posset judicium, vel ex eo constare arbitror, qvod sub verbis æqvipollentibus aut non multum immutatis baptismum administrare aliqvi non dubitaverint. Qvò pertinet, qvod Nicephorus refert *l. 16. hist. c. 35.* de Episcopo qvodam Ariano baptizante in nomine Patris per Filium in Spiritu S. Et his verborum involucris crassissimos suos plerumq; tegebant errores, qvibus manifestandis orthodoxa Christi Ecclesia semper piè & prudenter invigilavit. Si tamen qvis hæreticorum genuina ex mandato Christi verba in actu baptizandi retinuerat, verum eum baptismum contulisse ominabantur, nec propterea baptizatum novo baptismate initiari volebant. Vid. *c. á qvodam Judæo, c. si qvi, cum qvatuor seqq. c. sanctum, c. hi de qvibus, c. satis, c. sive hæreticus, c. hi verò hæretici, de consecrat. dist. 4.*

LXXVII. Pervenimus ad caput tractationis nostræ tertium, qvo sanctionem Legis sive pœnam considerare nos velle promisimus. Ea est, qvod Antistitem baptisma geminantem SACERDOTIO INDIGNUM ESSE CENSEANT Imperatores. Sacerdotium, DEi ministerium dixit Salvianus Episcopus Massiliensis *l. 7. de gubern. Dei p. m. 279.* Unde Sacerdos, DEi minister. Et est utiqve id vocabulum generale; Gentilibus maximè

fre-

freqventatum, qvi sacrorum præfectos, & Flamines, & Sacerdotes promiscuè & sine distinctione dicebant. At aliud atq; aliud nomen iidem illi, qvi Sacerdotes generali vocabulo dicebantur, habebant in aliis aliisqvè diversorum deorum sacris. In sacris Mithræ sacerdotes omnes vocabantur Patres sacrorum, unus verò & summus dicebatur Pater patrum. Præfectus in sacris Liberi dicebatur Archibucolus: In sacris Hecatés Hierophanta. in sacris Serapidis ἀρχιυπηρέτης, in aliis ἀρχιερεὺς καὶ προφήτης. Et sic etiam Flamines alii dicebantur Viminales, alii Martiales, Qvirinales, Vulcanales, Carmentales, falacri, Palatuales, Furinales, Curiales, & porrò. Refero huc etiam sacerdotia Provinciarum, qvibus qvi fungebantur, ludis præerant in honorem deorum institutis cum sumptu aliqvo. Jacob. Cujac. *ad l. 8. C. de mun. patrimon.* Ipsi enim Sacerdotes ex reditibus qvos accipiebant, cogebantur in ejusmodi ludis impensas facere *l. 75. l. 145. l. 176. C. Theodos. de decurion.* & exhinc Sacerdotia ejusmodi inter munera patrimonialia referebantur *d. l. 8.* & Anton. Perez. *Cod. de muner. patrim. n. 4.* Nec tamen aliter qvàm sacerdotia dicebantur. Cum enim sacra haberentur ista certamina, & festivis diebus in deorum honorem exhiberentur, qvi eis præerant, in Sacerdotum ordinem prius cooptabantur. Qvo spectat illa Alexandri Imp. Constitutio *l. un. C. de peric. success. parent. lib. X. Si de proprio suo patrimonio muneris editionem suo nomine pater tuus repromisit, ideoq; etiam Sacerdotem te creari impetravit: onus erogationis commune omnium heredum ejus esse Præses provinciæ non ignorabit.* Hæc ipsa autem Gentilium Sacerdotia à provinciis, in qvibus ludi ede-

bantur, nomen gerebant. Ita Ἀσιαρχία, Βιθυναρχία, & καππαδοκαρχία recensentur à Modestino *l. 6. §. 14. ff. de excusat. tut.* sicut Phœniciarchia & Syriarchia inter species Sacerdotii in Constantini M. rescripto *l. 1. C. de nat. lib.* ita & Alytarchiæ & Syriarchiæ meminit Leo Imp. *in l. un. C. de offic. Comit. Orient.* ita Alytarcharum, Syriarcharum, agonothetarum, itemqve Asiarcharum, & cœterorum, qvorum nomen votiva festivitatis solennitas dedicabit, in Honorii & Theodosii Constitutione fit mentio, *l. 2. Cod. Theodos. de expens. ludor.*

LXXVIII. Qvemadmodum igitur Sacerdos in genere dicitur ille, qvi sacris DEi vacat *l. 32. §. 4. ff. de recept.* ita veri qvoqve DEi ministris tributum illud est nomen, & non tantùm in Ecclesiâ Israëlitica, sed etiam Christianâ. De illâ non est dubium, nec esse puto, qvi propriè dictos in eâ fuisse Sacerdotes negare possit, cum in confesso sit, externum eos & corporale sacrificium DEo obtulisse. Sed inter Christianos, num ministri DEi & præcones Verbi Sacerdotes dici commodè possint & debeant, æqvè clarum fortè non est. Et sanè non est de nihilo, qvod ab eo loqvendi genere & Christus ipse & Apostoli semper abstinuerint. Chemnit. *in exam. Concil. Trid. part. 2. tit. de Missâ p. m. 342.* Nec est de nihilo, qvod etiam in primitivâ post Apostolos Ecclesiâ non adeò freqventer id vocabulum occurrat. Vid. Vedelius *Exercitat. 3. ad Ignat. Epist. p. 156.* cùm præsertim post sacrificium in cruce peractum omnis sacrificiorum usus, olim admodum freqvens, prorsus desierit, qvod tamen præcipuum ubiqve Sacerdotum fuit munus & officium. Qvin imò, qvia in Novo Testamento Christiani omnes promiscuè Sacerdotes di-

cuntur, *apoc. l. 6. c. V, 10. c. XX. 6. 1. Petr. II, 5.* frustra id nomen Clericis attribui videtur solis. At enim obtinuit nihilominus, & consvetudine receptum est, ut ministri Ecclesiæ Christianæ non solùm in generali illâ significatione, secundùm qvam omnes pii dicuntur Sacerdotes, sed etiam speciali qvodam respectu, qvatenus scil. prædicatione Evangelii sacrificant, & in eam rem peculiariter sese DEo consecrant, Sacerdotes dicantur. Dn. Gerhard. *in Loc. de Minister. p. 25.* Dn. Tabor. *de obligat. Successf. in Offic. c. 6. n. 1.*

LXXIX. Sed enim num promiscuè omnes? Sanè id vocabulum aliqvando Episcopis solis tributum, apparet ex *l. 10. l. 14. l. 18. l. 31. l. 33. l. 42. l. 43. l. 44. Cod. de Episcop. & Cler. l. 13. l. 34. Cod. de Episcop. aud.* & alibi passim. Anton. Contius *in l. 7. C. de Episc. & Cler.* Dionys. Gothofred. *in l. 14. C. eod.* Cujacius *ibid.* Joh. Raynold. *in Colloq. cum Hart. p. 368.* Hoc modo Cyprianus Carthaginiensis Episcopus jam seculo III. Episcopos Romanos, Cornelium, Lucium & Stephanum, qvorum σύγχρονος fuit, appellat Collegas & Consacerdotes *l. 1. Ep. 1. & 4. & l. 3. Ep. 1* Et dict. *Epist. 4.* Basilidem & Martialem, illum Astaruciæ, hunc Emeritæ in Hispaniâ Episcopos rectè ab Episcopatibus remotos dicit, tùm qvia in ordinatione Sacerdotum non nisi immaculati eligendi, tùm qvia plebs à Sacerdotis peccatoris contagio tuta esse non possit. Est tamen hoc vocabulum etiam aliis Clericis factum commune, uti ex *l. 16. l. 19. l. 44. C. de Episc. & Cler. & l. 8. §. 2. C. de hæret.* ostendit Cujacius *d. l.* qvibus addi possunt *l. 53. vers. sciente tuâ Excellentiâ C. de Episc. & Cler. & l. 34. §. 4 C. de Episc. aud.* Ex qvibus omnibus haud frustra colligitur, generaliori

qvandoq; id usurpatum fuisse significatu, ut etiam Diacono competeret, præsertim, ubi mentio fit ejusmodi actûs, qvem Diaconus cum Episcopo potest habere communem. Qvòd igitur supra de vocabulo Antistitis diximus, id hic de vocabulo Sacerdotis repetimus; nempe utrumq; in significatu suo illustriore Episcopum denotare, sed hîc latiorem ambitum habere, & dici per interpretationem extensivam de omni Clerico, qvi baptizat.

LXXX. Talis ergò qvisqvis fuerit, & in quocunqve gradu Sacerdotii, si baptismum iteraverit, sacerdotio suo indignus habetur in nostro textu. Qvomodò autem indignus? an ita tantùm, ut non obstante indignitate hâc in officio suo nihilominus persistat, qvaliter multi omnibus seculis in omni vitæ genere inventi fuere indigni, qvi tamen gradu illicò moti non sunt, an verò intelligenda hîc est indignitas cum effectu privationis. Et posterius hoc locum habere, ipsa arguit Legis & sanctionis natura, qvæ non tàm declaratoriam aliqvam involvit sententiam, qvàm pœnalem. Legis enim virtus hæc est, imperare, vetare, permittere, punire *l. 7. ff. de LL.* Dum igitur Constitutio hæc delicti alicujus coërcitionem intendit, non potest ita explicari, qvod tantùm de qvalitate delinqventis pronunciet, eâq; non obstante illum in officio suo adhuc toleret, & ad indignitatem istam conniveat; qvin potius pœnam hîc aliqvam determinari ex conqvisitâ verborum acerbitate haud frustra colligimus.

LXXXI. Disputant Dd. utrum qvi inhabilis est, & patitur se assumi ad officium aliqvod, teneatur suam inhabilitatem detegere? Communis sententia est, detege-

tegere eum non teneri, si inhabilitas fuerit ignota, aut si errore lapsus inhabilis ad capessendum honorem & munus processerit; Et removeri qvidem eum debere, sed non puniri: puniri autem tum, si inhabilitatis suæ conscius honorem affectaverit. Indistinctè autem respondet Martinus Bonacina *de restit. in gen, tom. 2. disp. 1. q. 2. punct. 12. n. 8.* indignum, qvi recipit dignitatem vel officium, non posse illud retinere, manereq; obnoxium restitutioni. Conf. Lessius *de just. l. 2. c. 34. dub. 22.* Sed illi omnes indigni nomine æstimant eum, qvi muneri, qvod gerit, impar est, qviq; inertiâ & ineptitudine suâ se indignum facit, physicè inhabilis dictus Marco Antonio de Dominis *l. 5. de Rep. Eccles. c. 9. n. 37.* Talis in textu nostro non intelligitur. Sed indignus hic dicitur ille, qvi, qvanqvam officio suo fungi possit satis bene, tamen ex eo se indignum reddit, qvod hæreticâ qvâdam pravitate circa id delinqvat, & Canonibus Ecclesiæ, tùm & Constitutionibus Imperatorum præfractè reluctetur. Et hunc sc. ab officio removeri volunt Imperatores.

LXXXII. Cæterùm cùm triplex detur secundum Doctores remotionis gradus, infimus, medius, & summus, ut constare possit, de qvo nostra hæc accipienda sit constitutio, pauca de singulis libet hic interfari. Ut enim alias qvoq; sive pœnas, sive censuras, sive coërcitiones Ecclesiasticas hic recenseam, neqve textus patitur, neqve nostrum institutum. Eas tamen, qvi qvasi in compendio collectas habere discupit, adire poterit Franciscum Duarenum *de sacr. Eccles. minist. & benef. l. 1. c. 3.* Rheinking *de regim. secul. & Eccles. l. 3. clas. 2. c. 2.*

LXXXIII. Infimus gradus speciali nomine vocatur

catur suspensio, & est censura (sive pœna, cùm etiam Censuræ Canonistis dicantur pœnæ medicinales, qvanqvam aliàs curiosè ista vocabula distingvant) Ecclesiastica, qvâ Clerico ob culpam suam inhibetur à jure vel à Judice exercitium Ordinis, officii vel beneficii sui Ecclesiastici, sive in totum sive in partem, sive in perpetuum sive ad tempus. Andr. del, Vaulx sive Vallens. *ad tit. X. de sentent. excomm. §. 8. n. 2.* Paul. Layman. *Theol. Moral. lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 1. n. 1. 2.* Suspendere enim idem est, qvod jubere aliqvem abstinere, aut ad tempus submovere, vel ut Ulpianus loqvitur *in l. 1. §. 15. ff. de offic. praef. Urb. l. 9. pr. ff. de pœn.* & Paulus *in l. 43. ff. eod.* actu qvodam vel officio, arte, advocatione, negociatione, spectaculis &c. interdicere. Et qvidem utplurimum fieri solet suspensio ad tempus aliqvod præfinitum. Qvæ enim in perpetuum fieri dicitur Canonistis, in effectu parum videtur distare à depositione, qvod etiam agnoscit Henr. Zœs. *ad tit. X. de pœn. n. 6.* Imponitur autem censura hæc ob enorme aliqvod delictum, erratum, aut facinus à Clerico commissum. Ita e. g. Clericus, qvi clandestinis interest conjugiis, per triennium suspendi jubetur, *c. ultimo X. de Clandestin. despons.* ita qvoq; qvi literas falsaverit *c. quam literis X. de test.* qvi à crapulâ & ebrietate non abstinet *c. 14. X. de vit. & honest. Cleric.* qvi propter comessationes officio suo non fungitur *c. 9. X. de celebr. miss.* qvi in causâ pecuniariâ falsum testimonium dixit, *auth. presbyteri C. de Episcop. & Cler.* qvi ad tabulas ludentibus inspector est, aut ad spectacula spectandi gratiâ venit, *auth. interdicimus C. eod.* & si qva sunt alia

quæ

LXXXIV. Medius gradus vocatur Depoſitio, qvæ eſt perpetua muneris Clericalis privatio per Canonicam ſententiam cum debitis ſolennitatibus prolatam, ſalvo tamen ordine, privilegiis & oneribus Clericalibus. Henr. Zœſ. *ad tit. X. de pœn. n. 6.* Eaqve in delictis majoribus locum habet, qvalia ſunt Simonia. *c. 2. X. de Simoniâ,* Latrocinium *c. 6. X. de pœn.* concubinatus *c. 4. X. de cohab. Cleric.* conſpiratio contra Epiſcopum, *c. conſpirationum 11. q. 1.* blaſphemia *c. ſi qvis 22. q. 1.* furtum, homicidium &c. *c. cum non ab homine 10. X. de judic.* Et talis depoſitio non eximit Clericum à jurisdictione & poteſtate judicis Eccleſiaſtici, neq; aliis privilegiis & Immunitatibus ſpoliat. Rheinking. *d. l. n. 14.*

LXXXV. Summus gradus remotionis dicitur Degradatio, qvâ Clericus ob grave qvoddam delictum non ſolùm dignitatibus & honoribus, ſed etiam privilegiis & ordinibus ſacris exuitur, ſecundum formam *c. 2. de pœn. in ſext.* præſcriptam, & deinde judici ſeculari traditur pœnâ corporali afficiendus. Ea verò de Jure Canonico locum habet tantùm in tribus caſibus, ſc. ob crimen hæreſis, *c. ad abolendam 9. X. de hæret.* crimen falſi literarum apoſtolicarum, *c. ad falſariorum X. de crim. falſ.* deniqve ob calumniam & contumeliam gravem proprio Epiſcopo illatam *c. ſi qvis ſacerdotum 11. q. 1.* qvæ ſcil. conjuncta eſt cum incorrigibilitate, Andr. Valenſ. *tit. X. de ſentent. excomm. §. 14. n. 2.* qvibus addunt moderni etiam alia atrocia delicta, & inprimis crimen Sodomiæ ex Bullâ Pii V. ita tamen, ut degradari nolint qvemcunqve committentem hoc crimen, ſed illum

tantùm, qvi exercuit cum freqventia actuum. Vallens. *til. n. 5.* De ritibus verò, qvibus peragi debeat degradatio, consuli potest *d. c. 2. de pœn. in sext.* add. Schleidan. *l. 4, comm. p. 88.* Petr, Svav. *hist, Concil. Trid, l. 4. p. 375.*

LXXXVI. Et hæc ita de remotionum speciebus docent Canonistæ, qvorum tamen plurima ex papatu nata, & ab Ecclesiæ, purioris institutis aliena esse, dubium non est. Et fatetur Duarenus *de sacr. Eccles. ministr. ac benef. l. 1. c. 3.* morem in Ecclesiâ receptum, nocentes Clericos tradendi suppliciis afficiendos, veteribus cognitum non fuisse. Qvod qvanqvam & ipsum papalem qvandam Clericorum exemptionem sapiat, novitatis tamen à JCto Pontificio tàm apertè incusari institutum Ecclesiæ, mirari licet haud frustra.

LXXXVII. Illud verò minus mirum est, qvod latrocinium, blasphemia, homicidium & alia ejusmodi delicta atrociora à Clericis perpetrata depositione tantùm puniantur. Est enim hoc solenne Juri Pontificio, ut pro gravissimo crimine, qvod mortis supplicio animadverteret Jus civile, carceris tantùm pœnam decernat. Et qvi possunt aliter Papæ? cum universorum Clericorum Ordinem etiam in criminalibus ab jurisdictione Laicorum exemerint, *c. at si Clerici 4. c. clerici 8. c. cum non ab homine 10. X. de judic.* Clericis autem ipsis, qvi judices esse possent idonei, judicium sangvinis agitare prorsus prohibuerint *c. Clericis 5. X. ne cleric. vel monach.* Dum igitur hi non possunt, & illi non debent

 pro.

pro merito punire, qvid restat, nisi ut impunè perpetrentur à sanctis patribus delicta omnium atrocissima.

LXXXVIII. Certi sumus, seculo Theodosiano, qvæ nunc depositioni & suspensioni substituuntur delictorum exempla; duriore pœnâ punita fuisse, cùm & anno ante, qvàm constitutio hæc Imperatoria promulgata fuit, criminales Clericorum causæ judicibus Laicorum reservatæ inveniantur; *l. 23. C. Theodos. de Episcop. Eccles. & Cler.* Nec puto etiam pristinis temporibus tam insigne depositionem inter & degradationem fuisse discrimen, qvin arbitror per depositionem etiam privilegiis & Ordinibus sacris exutum qvem fuisse, utcunqve solennes ejusmodi ritûs degradationis adhibiti tùm non fuerint. Sanè qvicunqvè Episcopi sedem pecuniæ interventu subiit, aut ut alterum ordinaret vel eligeret, pecuniam accepit, ad instar publici criminis & læsæ Majestatis accusatione propositâ à gradu sacerdotii cum perpetuâ infamiâ retrahi jubetur *l. 31. C. de Episc.* At si infamiâ irrogatur, multò magis privilegiis & ordinibus sacris exui oportet. Conf. *l. 42. C. eod.* Et tamen Canonistæ & Pontificii tale delictum ad Simoniam referrent solâ depositione mulctandum. Ita Clericus aleator vel aleatorum particeps aut talibus adsidens vanitatibus primùm suspendi jubetur, & si non resipuerit, deponi & sacris catalogis eximi, ita scil. ut curialis deinceps, aut si facultates non habeat, officialis provincialis fieri necesse habeat, hanc sibi turpitudinem pro pristino honore imponens, ut loqvitur Justinianus *in l. 34. §. 4 in f. C. de Episc. aud.* Talia passim occurrunt plura.

LXXXIX.

LXXXIX. Qvod si jam ex me qværas, qvalis in textu nostro intelligenda sit remotio, in promptu est responsio, depositionem intelligi debere, & talem qvidem, qvæ omissis solennibus hodie freqventari solitis, degradationem simul includat h. e. talem depositionem, qvæ delinqventem omni dignitate, gradu, vel ordine, indeqve dependentibus juribus tum & privilegiis & ordinibus sacris omnino exuit. Hanc sc. intendunt Imppp. dum dicunt: SACERDOTIO INDIGNUM ESSE CENSEMUS. Sic enim etiam illi sacerdotio indigni dicuntur, qvi propter Simoniam à gradu sacerdotii cum infamia retrahuntur, *d. l. 31. C. de Episc. & Cler.* Ita omni Episcopatu indigni dicuntur, qvi propter conjugium (errore seculi) in sacris manere prohibentur, *l. 48. C. eod.* qvod seipsos scil. fecerint indignos; *auth. Episcopo C. eod.* Alibi dicuntur ita remoti; Episcopali loco vel homine detrusi, *l. 14. C. eod.* sacerdotio pulsi; *auth. si qvis, ibid.* ministerio prohibiti, *auth. interdicimus, ibid.* ab Episcopatu dejecti; *auth. Episcopo, ibid.* extra sacerdotium & Clerum constituti, *l. 42. eod.* tam sacerdotio, qvam divino ministerio; atqve etiam dignitate ipsa, qvam habent, nudati, *l. 45. eod.* Et ne dubites, depositionem hic subinnui, expresse dicitur *in l. 2. Cod. Theod. ne sanct. bapt. it.* (qvæ textui nostro per Verba initialia in Codice Justinianeo adhæsit) qvod rebaptizantes, Ecclesias, qvas contra fidem retinent, restituere debeant. Is autem restituit, qvi cedit, qvi renunciat, qvi abdicat se jure suo, qvi omni spe recuperandi dejicitur.

XC. Docent vero exemplo hoc suo Imperatores laudatissimi, qvam provide versari oporteat Prin-

cipem in Ecclesiâ, & qvatenus coërceri debeant hæretici veram & salutarem fidem deserentes. Nondum eo tempore instituta erant cruenta ejusmodi Tribunalia, qvibus post atrocissima tormenta fama & vita adimitur. Salvam tantùm & incorruptam volebant in Ecclesiâ doctrinam, qvid privatim qvisqve statueret, suo malo domesticoqve secreto errorem diligere permittebant. *l. 2. Cod. Theod. ne sanct. bapt. it.*

XCI. Sanè nec hæresis nec pœna ejus aut coërcitio est unjusmodi. Qvæ Theologiam naturalem offendit, & cum blasphemiâ conjuncta est, dubium non est, qvin gravius aliqvod supplicium, etiam capitis nonnunqvam aut lingvæ amputationem mereatur. Vid. *Novell. Augusti Elect. Constit. 1. part. 4.* Jacob Menoch. *de A. I. Q. cas. 375.* Anton. Gomez. *tom. 3. resolut. c. 2.* Camill. Borell.. *Cons. 43.* Coler. *decis. 172.* Berlich. *part. 4. concl. 1.* Herm. Lather. *de cens. l. 2. c. 4. n. 8. 9. 10.* Gisbert. Voët. *disp. Theol. de atheism. p. m. 179.* Joh. Selden. *de J. N. & G. sec. doctr. Ebr. l. 2. c. 10. 11. 12. 13.* Qvibus enim honestatis, fidei, obedientiæ vinculis & à qvo peccati genere retineatur ille, qvi DEum abnegat?

XCII. Pari modo, qvi seditiosè dogmata sua spargit, potest ille itidem corporali aliqvâ pœnâ affici, non qvidem propter errorem, sed propter excitatam seditionem, Dn. Carpzov. *prax. crim. p. 1. q. 44. n. 41.* Menzer *in Exeges. A. C. art. 16. n. 15.* At si qvis nec seditiosè, nec blasphemè doceat, erret tamen in aliqvo articulo fidei, non illicò corporali aliqvâ pœnâ corripiendus

dus est, sed suspendi aliqvando ab officio, aliqvando omninò deponi, aliqvando etiam, si ejusmodi pœnas insuper habuerit, & contra prohibitiones Principis nihilominus erronea sua dogmata proposuerit, relegatione aut publicatione bonorum coërceri pro re natâ potest. Vid. *l. 4. C. Theodos. h. t.* Etsi enim religionis non sit cogere religionem, nec intellectus erroneus propositis pœnis adigi possit, ut aliter credat; qvia tamen voluntatis opus est suum de religione sensum vel profiteri vel tegere, potest utiqve, qvi voluntati subditorum moderatur, prohibere, ne qvis conceptum illum suum in vulgus efferat, & novam suam doctrinam proponat, additâ etiam pœna si id fecerit, *c. resecanda 24. q. 3. l. 1. C. de SS. Trin.* Verùm cùm jam supra hac de re nonnulla dicta sint, & alibi qvoqve fusiùs egerimus, nolumus commentarium hunc nimiùm excrescere.

FINIS.



cipem in Ecclesiâ, & qvatenus coërceri debeant hæretici veram & salutarem fidem deserentes. Nondum eo tempore instituta erant cruenta ejusmodi Tribunalia, qvibus post atrocissima tormenta fama & vita adimitur. Salvam tantùm & incorruptam volebant in Ecclesiâ doctrinam, qvid privatim qvisqve statueret, suo malo domesticoqve secreto errorem diligere permittebant. *l. 2. Cod. Theod. ne sanct. bapt. it.*

XCI. Sanè nec hæresis nec pœna ejus aut coërcitio est unjusmodi. Qvæ Theologiam naturalem offendit, & cum blasphemiâ conjuncta est, dubium non est, qvin gravius aliqvod supplicium, etiam capitis nonnunqvam aut lingvæ amputationem mereatur. Vid. *Novell. Augusti Elect. Constit. 1. part. 4.* Jacob Menochi. *de A. I. Q. cas. 375.* Anton. Gomez. *tom. 3. resolut. c. 2.* Camill. Borell. *Cons. 43.* Coler. *decis. 172.* Berlich. *part. 4. concl. 1.* Herm. Lather. *de cens. l. 2. c. 4. n. 8. 9. 10.* Gisbert. Voët. *disp. Theol. de atheism. p. m. 179.* Joh. Selden. *de J. N. & G. sec. doctr. Ebr. l. 2. c. 10. 11. 12. 13.* Qvibus enim honestatis, fidei, obedientiæ vinculis & à qvo peccati genere retineatur ille, qvi DEum abnegat?

XCII. Pari modo, qvi seditiosè dogmata sua spargit, potest ille itidem corporali aliqvâ pœnâ affici, non qvidem propter errorem, sed propter excitatam seditionem, Dn. Carpzov. *prax. crim. p. 1. q. 44. n. 41.* Menzer *in Exeges. A. C. art. 16. n. 15.* At si qvis nec seditiosè, nec blasphemè doceat, erret tamen in aliqvo articulo fidei, non illicò corporali aliqvâ pœnâ corripiendus